Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Sententiae Salomonis, iuxta Hebraica[m] veritate[m], summa cura redditæ, autore Philippo Melanch[thon]

Lipsiae: Faber, 1538

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0001

2639

VD 16
1: B 3592
2: E 2200
3: Suppl.
4: R 2374
5: K 2542

Fb. – 3121.1–5.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0002

SENTENTIAE SALOMONIS, iuxta Hebraicã veritatẽ, summa cura redditae, autore Philippo Melanch.



LIPSIAE PER NICOLAVM FABRVM.

M. D. XXXVIII.

F. b. - 3121.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0003

LIBER AD LECTOREM, IACOB. MICYL.

Non minium, ſpiro ue crocum, non pumice raſus
Candide de ueterum cornua more gero.
Mendaces ſiquidem decet iſta ſuperbia libros.
Seq; peregrina uendere mundicie
Nudus ego ſuperas uolui prodire ſub oras
Dummodo ſim uerus, ſat puto cultus ero.
Non auſos recito cœlum ſpirare Gigantem.
Nec Iouis in turpi ungor adulterio.
Quid faciat caſtos mores, quid pectora ſana
Quo ueniat digne uita gerenda modo.
Hæc ego ſuſcepi Lector ſtudioſe docenda.
Hic ſcopus, hæc noſtri ſumma laboris erit.
Hæc quondam ut poſſet regina audire Sabea
Venit ab auſtrina fœmina uecta polo.
Tantus erat uirtutis honos, ea gloria recti.
I nunc & croceis uende te muneribus.

ILLVS.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ILLVSTRI SAXONIAE PRINcipi. D. Ioanni Friderico, &c. Philippus Melancht, S. D.



VM VIDEREM IN tanta librariorum licentia futurum, ut scholia nostra in sententias Salomonis dictata publicarentur, res postulabat, ut erratis quæ sunt in eo commẽtariolo non parum multa, aliqua ex parte mederer. Neq; enim fieri potuit, quin in tã obscuris ac breuib. apophthegmatis multa interpretem fallerẽt, præsertim πρὸς τὸ πρόσωπον. Et recognoscere cõmentarium non sinebant librarij, qui prius uidebãtur edituri, quam nobis uel relegere uacasset. Nihilo fœlicius & antea editi sunt aliquot commentarij mei, primum anteq; maturuissent, deinde mutilũ, & pleriscq; locis opificum incuria adeo depraua ti, ut non agnoscam. Atq; meo sanè iudicio inter huius seculi innumera mala, non postremũ habet locũ Typographorũ improbitas.

bitas dicam, an impudentia, qui cum citra delectum
cudant edantq; omnia, unde lucri spes est, Deum im-
mortalem, quantum incommodant rebus humanis.
Nam ferè pessimos quosq; libellos, quia plurimos ha-
bent emptores, orbi obtrudunt, quibus cum labefiat
alicubi religio, opprimantur honestæ artes atq; lite-
ræ, sæuiatur in bonos uiros, publica tr̃quillitas per-
turbetur, quid fingi potest pernicioſius? Sed ualeãt
illi ut merentur. Equidem putaui fidei mei referre,
ut lecturis Salomonem, accuratius consulerem, po-
steaquam id utcunq; uideor illius opusculi titulo pol-
licitus. Proinde Salomonem ipsum de integro ita la-
tine reddidimus, ut intelligi posset, id quod in ueteri
interpretatione desyderabatur. Feci autem hoc cò
libentius, quod mereri libellus uidebatur, ut penitus
cognoscerent ac ediscerent pueri. Nam et de pietate
sanctissimas opiniones teneris pectoribus instillat,
& de communibus moribus mire ciuiliter præcipit.
Iam et ipsum autorem circumferri malui quàm me-
um commentariolum. Præstat enim & ad conscien-
tiam confirmandam, & ad formandum iudicium,
cum Prophetis ipsis tanq̃ domi colloqui, q̃ ex com-
mentarijs sapere, qui ferè Prophetarum sententiæ
procul ostendunt, si tamen ostendunt. Et ut in inter-
prete nihil possis deprehendere, tamen & hic iuxtæ
Prouerbium. Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.
Itaq; cum pro enarratione nostra, autorem exhibeo

ipsum

ipsum, ne nos χαλκέα χρυσείου commutatis, integrum enim Salomonis opus pro mutilo cõmentario, elaboratum pro extemporaneis adnotationibus deniq; prophetias pro homunculi sententijs reponimus. Porró ut obiter hoc etiam moneam, in uertendo hoc seruauimus, ut in ijs locis, qui de fide, aut timore præcipiunt, & ad muniendã cõscientiam pertinent non modo sententias fideliter repræsentaremus, sed uerba etiam ferè adnumeraremus. In ciuilibus sententijs, sunt enim non parum multæ πολιτικαί, fuimus liberiores, necubi lectorem obscuritas moraretur. Quid enim attinet interpretari, si intelligi nolis? Nec moror iudicia eorum, qui iudaicam quandam superstitionem in uertendo requirũt, qui cum liberalibus & elegantioribus disciplinis non sunt perpolliti, ne possunt quidem de ullo genere orationis recte iudicare. Hoc ergo quicquid est operis, Illustriß. Princeps, tibi dedicare uolui, & ut studium tibi meum probarem, & ut adhortarer te ad pietatem interprete καὶ προξένω Salomone. Par est autem hunc regem audire de officijs omnibus uitæ præcipientem, quem constat primum sapientia præstitisse regibus omnibus, omnium ætatum ac gentium, deinde nihil docere nisi uerbum Dei. Apud Homerum Agamemnon optat sibi decem σιυμ φράδ μονας Nestoris similes cõtingere, nam huius prudẽtiam in primis suspiciebat. Quanto me-

lius autem tecum agitur, cui Salomonis cõsuetudine frui licet, & cum tali symphradmone de rebus omnibus publicis ac priuatis, consultare ac cõmentari, qui multis modis Homericũ senem uincit. Proinde si fœliciter cupis imperium gerere, & tales admitte uitæ magistros, & toto pectore religionem cole, Sic enim & diuinitus præceptum est, ut librum legis habeant in manibus principes, & ex eo, se comparent. Falleris si hũana industria, aut uiribus defendi posse imperij possessionem censes. Frustra conaberis omnia, nisi pietate deum deuinxeris, qui consilia tua fortunet. Id subinde inculcat in his sententijs Salomon, & testãtur minime obscuris exemplis Historiæ. Simul autem cum religione rem literariã tibi commendo, ut honestarum artium ac disciplinarum patrociniũ suscipias, quæ hac turbulenta tempestate naufragium facturæ uidentur, nisi à bonis principibus summa ope defensæ fuerint, Nihil autẽ magis regium susceperis quam hanc prouinciã propugnandarum literarum, quæ cum religioni ornamento sunt, tum publicarum legum, & ciuilis disciplinæ, & humanitatis scientiam continent. Quod uulnus iterum accipiet religio, ubi linguarũ studium frigere cœperit, cum intelligi diuini spiritus uoluntas, nisi ex prophetico sermone non possit, & de sermone haud ferè iudicare queant hi, qui nostris literis non sunt exculti. Iam ciuilem disciplinã neces-

se est

se est conuelli, nisi ijs artibus, quæ de uitæ officijs & communibus moribus præcipiũt, ad uirtutem iuuentutis animi inuitentur ac instituantur. Nemo respublicas, siue religionẽ spectes, siue ciuiles mores, grauius læserit, quàm qui à studio liberalium artium iuuentutem retrahit. Est enim omnino uis earum opinione uulgi maior. Quare aduersus praua iudicia imperitæ multitudinis, aduersus importunitatem indoctæ turbæ, aduersus uim atq; iniuriã à uestro ordine opem implorant, ad uos tanq̃ in portum quendam & perfugium se conferunt. Quid fuerit autem crudelius, quàm barbaro furore uulgi innocentes, imó optime merentes de rebus humanis prodere, ac perpeti ut opprimantur, ac deleantur. In fabulis est Mydæ Phrygum regi, q̃ de Musica non satis prudenter iudicasset, ab Apolline asininas aures additas esse. Quantum autem, bone Deus, in illo procerum uulgo Mydarum hodie habemus, qui non modo literas nullas norunt, sed contemnunt etiam, & nugas esse sentiunt, quas collusitantes in scholis ociosi homines commenti sunt. O perniciosum errorem. Nam si literas reb. humanis exemeris, exulare uni uirtutes omnes ac pacis artes continget. Quando de sese prædicant ipsæ Musæ apud Hesiodum rectius, cum affirmant se de grauißimis rebus agere, et uera bona mortalibus ostendere. Sic enim aiunt, ἰδ μὲν δὲ ἔυ τ᾽ ἐθέλωμεν ἀλιθέα μυθήσασθαι. Itaq;

te publica utilitas commoueat, & tuarum gentium salus, quæ incolumis esse non potest, extinctis literis, ut eas aduersus improborum temeritatem fortiter defendas. Cum enim diuino beneficio nuper reflorescere cœperunt, ne agnoscere quidem Dei liberalitatem uideberis, nisi cæleste munus religiose cõseruare contendas, & cum hoc conatu in primis delectatur Christus, tum nõ alio officio uberius de tuis gentibus mereri poteris. Neq; uero usquam fœlicius collocari beneficium putes, quam in has, cumulate enim bene merito gratiam reddunt. Nam cum alumnæ sint omnium uirtutũ, caue putes in eas ingratitudinem cadere posse. Quare Salomonem nostrũ ita excipies, ut sentias te monitorem, & doctorẽ religionis, & aliarum uirtutum domum admittere, simulq; committi tibi honestarum artium ac literariũ patrocinium. Id si susceperis, tum demum uere principem ages. Quod si hoc munus Princeps abdicarit, cætera nihilo uerius, quàm scenicus ornatus regem afficiunt. Habes aũt & domestica exẽpla, quæ te ad res pulcherrimas accendere ac inflammare possunt, quæ imitari ac sequi, pars quædã pietatis est.

& tyrocinium tuum, ac imperij rudimẽta spem nobis faciunt fore te honestis studijs præsidio, ac reipubl. salutarem. Vale fœliciter.

PROLOGVS.

SENTENTIAE IN omnib. linguis, sunt aut præcepta breuia de moribus, aut admonitiones de communibus uitæ casibus, de breuitate uitæ, de uarietate fortunæ, de perfidia hominũ, quales existus habeant rectæ facta, aut secus facta, quæ tamen ipsæ sententiæ præcepta dici possunt. Sunt. n. traditæ à sapientissimis hominibus, & consuetudine comprobatæ, tacite præcipiunt, quomodo gubernari cassus illi uitæ debeant, quorũ mentionem faciunt. Possunt itaq; in vnaquaq; lingua receptæ à populo sententiæ, in locos communes uirtutũ, aut cognatos illis tanquam in classes distribui. Vt ad beneficentiam pertinet, Beneficiũ accepit, qui digno dedit, ad amicitiam. Amicus certus in re incerta cernitur. Ad fortunam, Fortuna quem nimium fouet, stultum facit. Ad experientiam seu prudentiã, Discipulus est prioris posterior dies. Sic etiam hæ sententiæ Salomonis, uel in locos communes, uel in decalogum distribui possunt, quoniam decalogus fons est omniũ præceptorum. Principio autem monendi sunt lectores. interesse inter prophanas sentẽtias, & has, quæ cõ- Proverbiorum utilitas.

tinentur in sacriis literis, quia prophanæ sententiæ, cum peperierit eas humana ratio, tantũ de ciuilibus moribus, aut de eiusmodi casibus, quos experientia ostendit, præcipiunt. Potest enim ratio de ciuilibus moribus recte iudicare ex legibus naturæ, ex quibus quia diuinitus animis hominũ inscriptæ sunt, omnia honesta præcepta colligit. Multa enim experientia didicit, ut, Raros esse fidos amicos. Non esse diuturnam improborum fœlicitatem. Paucos in rebus secundis moderatos esse. Itaq; & de moribus & de talibus uitæ casibus extant doctorum hominũ præcepta, & sentẽtiæ in omnibus penè scriptoribus. Multi etiam nihil nisi sententias scripserunt, quoniã putabant ad mores formandos nihil utilius esse, quàm huiusmodi breuia oracula semper ob oculos posita habere, ut Hesiodus, Theognis, Phocilides. Sed sententiæ in sacris literis non tantum præcipiunt de ciuili consuetudine uitæ, sed etiam de uoluntate Dei, de timore Dei, de fide, de cruce, de his locis quoniam iudicare ratio non potest, aut nullæ, aut falsæ sententiæ in humanis literis inueniũtur. Nam, ut alia omittam, de cruce longe fallitur ratio. Neq; enim certo dei consilio adfligi homines arbitratur, sed aduersa temere accidere bonis & malis. Illud uero multo minus sentit, calamitates nobis utiles esse, & eos quos Deus adfligit, in primis ab eo diligi. Sed sacræ literæ docent primum adfligi homines certo DEI consi-

consilio, sicut Paulus ait, Dum iudicamur, à domino corripimur, non ait temere id accidere. Et Christus negat passeres mori sine uoluntate patris. Deinde docent nos adfligi, ut uocemur ad pœnitentiã, quemadmodum ait Dauid: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Et Paulus, Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Itaq; in hoc libello Salomonis sunt multæ Propheticæ sententiæ, de timore Dei, de fide, de cruce, de promissionibus, de comminationibus diuinis. Has sententias in primis oportet obseruare, quoniam in prophanis literis nullæ sunt earum similes. Deinde etiam ciuilium morum præcepta, non omnino eodem modo tradunt prophanæ literæ & Propheticæ, Nam Propheticæ literæ addunt plerumq; aut promissionem, aut comminationem præcepto. Ratio ipsa docet parentes esse colendos, sed Deus addidit promissionem, Si uis esse longeuus super terram. Hanc promissionem ratio non uidet, nec statuit à Deo puniri ingratos. Ratio iudicat turpe esse mẽducium. Sacræ literæ addunt à deo puniri. Sic enim ait Salomon: Abominatio coram deo, labia mentientium. Ratio sentit magistratibus obediendum esse, & pœnas publicarum legum metuendas, sed addunt sacræ literæ, Deum ulcisci contumeliam magistratuum, etiamsi magistratus ipse ulcisci nequeat. Sic enim ait Paulus,

Sacræ literæ quid doceant.

Qui magistratui resistit, iudicium adquirit. Similes sententiæ sunt aliquot in Salomone. Ita simul docet nos sacræ literæ ciuiles mores, & timorem Dei & fidem. Prophani scriptores tradunt tantum præcepta morũ ciuilium, nec attingunt doctrinam timoris et fidei.

SENTENTIAE SALOMONIS.

CAP. I.

Titulus operi additus est, cũ propositione cohærẽs. Propositio autem submonet quæ sit uis, quis usus Verbi Dei.

Κεφάλαιον operis, Humana sapientia docet.

SALOMON DAVIDIS FILIUS, Rex Israhelitarũ, sententias conscripsit, vnde discãtur, sapientia, castigatio, intelligentia, prudentia, iustitia, ius & rectum, unde & calliditatem imperiti, & puerí scientiam & consilia petant.

Sapientes, ubi audierint, promouebunt, & cordati industriam consequentur, ut intelligant

ligant sententias, interpretationem, sapientum consilia & exempla.

Timor dei scientiæ initium est.

Contra, sapientiam & eruditionem stulti adspernantur.

Audi fili paternam castigationem, & matris tuæ legem ne negligas. Nam ea demum capiti tuo pulcherrima bulla fuerit, & collo torques.

Fili, si te inuitauerint peccatores, ne obsequaris. Si dixerint, nobiscum ambules, insidiemur sanguini, abdamus nos, ut innocētibus exitium machinemur, & quemadmodū inferi uiuos absorbeamus, probos tanquam ruentes in voraginem. Magnas opes reperiemus, ædes nostras spolijs locupletabimus, sortem tuam & inter nos deijce, cōmune sit omnium marsupium. Mi fili, ne ambules cū eis, arceto pedem tuum ab illorum uia. Nam pedes eorum ad exitium properant. Frustra tenduntur retia uolucribus ob oculos, & isti sibi mutuo insidiantur, nec uita eis inter ipsos in tuto est Hic auari mos est, ne uitæ quidem alterius parcit.

QVAERIMONIA, Quēadmodum ubiq; dolent prophetæ contemni uerbū Dei.

Sapientia foris clamitat, in plateis uocem edit,

cet fidere nobisipsis, hic docetur timor Dei.

Damnatur solicitudo de victu, q̄ ferè impellit ad rem quoquo modo faciendam.

Ibi multis exēpla diuitum imponunt & splendor. παροιμιακῶς *dixit. Frustra illos conari, q.d. arcne*

edit, multitudini præit, pro portis clamitãs, & in urbe concionatur.

PROVERBIA

Quousq; tandem imperiti amabitis imperitiam, & subsannatores sannis delectamini, & fatui scientiã odistis? Aduertite animum ad increpationem meam. Ecce spiritum meũ vobis efflabo, sententiam meam exponam. Cum uoco uos, recusatis, cum porrigo manum, nemo aduortit animum. Omnia consilia mea negligitis, & increpationem fastiditis. Proinde & ego in calamitate uestra ridebo uos, cum subita mala nihil tale metuentes perterrebunt, Tum uocabunt me, ego uero non exaudiam, quærent non inuenturi. Nam oderunt scientiam, & timorem domini non elegerunt. Fastidierunt consilia mea. & increpationes calumniati sunt. Itaq; fructus edent operum suorum, & consilijs suis saturabuntur. Nam imperitis exitio sunt illecebræ, quibus parũ cauti capi solent, & facuos secundæ res impiorum perdunt. Quisquis me audierit, secutus erit in tranquillo.

PRIMI CAP. FINIS.

CAP.

semina mãdant, aut, Non pfecturis littora bobus arant. Nisi enim retia tegantur, et arte alliciãtur aues, nihil egeris. Significatigitur frustra esse conatus impiorum, Deus enim non adspirat.

CAP. II.

ADHORTATIO,

FIli, si acceperis uerba mea, & mandata mea apud animũ repoſueris, ut auſcultes ſapientiæ accommoda cor, ut probe intelligas. Nam ſi poſtulaueris intelligentiam, eamq; accerſieris, ſi uelut argentum quæſieris, & inueſtigaris tanquam theſauros intelliges timorẽ domini & Deum cognoſces.

Deus enim ex ore ſuo ſapiẽtiam & ſcientiam, & intelligentiã largitur, Rectis dat ſucceſſum. Protegit probos. Ius tuetur. Et iter ſanctorum ſuorum cuſtodit. Ita demum intelliges iuſtitiam, ius, recta, & bonas uias omnes. *Conſilia et ſucceſſum à deo eſſe.*

Si ſapientiæ ſtudium te tangit, & ſcientia placet tibi, conſilium ſeruabit te, & intelligentia cuſtodiet te, eripietq; à mala uia, & à uiro peruerſa loquente, & ab iis qui regiam uiam relinquũt, & in tenebris ambulãt, qui ſcelere & peruerſitate gaudent, quorum peruerſæ uiæ ſunt, quos ipſorum uia arguit deſertores eſſe.

Eripiet item ſapientia te à muliere aliena, quæ ſe blandicijs uenditat, & relicto priſtino

In scortationē acerrime inuehitur, docetq; caueri non posse nisi muniamur uerbum Dei.

stino marito, pacti diuini obliuiscitur. Nam ruinam minatur domus eius, & uia eius ad interitum ducit. Quotquot ad eam accedunt pereunt, propterea uiam bonam insistito, & uiam iustorum obserua. Recti in terra perdurabunt, & probi in ea superstites erunt. Impij e terra extirpabūtur, & funditus delebuntur, quotquot contemnunt Deum.

CAP. III.

παραινέσεις.

Verbū adfert uitam Deuter. 8. Item. 30.

FILI, ne capiat te obliuio legis meæ, & præcepta mea infige cordi tuo, prorogabunt enim uitam tibi, & pacem fœlicitatemq; adferent. Misericordia & ueritas non deserent te.

Suspende hæc à collo tuo, inscribe tabulis cordis. Inuenies enim gratiam & fœlicē prudentiam coram deo & hominibus.

PRIMVM.

Δεκαλόγου γνῶσις.

Fide Deo toto corde.
Et prudentiæ tuæ ne innitare.

II.

Quacunq; ingredieris, agnosce eum.
Ita fiet, ut ipse regat gressus tuos.

Non con-

III.

Non confidas sapientiæ tuæ,
Time Deum, & recede à malo. Id umbilico tuo salubre est & rigat corpus.

IIII.

Honorem habe Deo de substantia tua, & de principijs omnium prouentuum tuorum. Ita fiet, ut horrea tua impleantur ad sacietatem usq́ꝫ, & torcularia musto exundent.

V.

Castigationem Dei ne repudies, & ne stomacheris, cum corripuerit te. Quem enim diligit Deus, hunc castigat, eoq́ꝫ uelut pater filio delectatur.

Beatus est qui sapientiam inuenit, & qui consequitur intelligentiam. Melior est enim fructus eius quàm argenti, & auro prouentus eius uberiores sunt: præstat gemmis, & præciosa om̃ia uincit: uitæ prorogatio est ad dexteram eius, & ad sinistram diuitiæ & gloria: uita eius amabilis est & fœlix. Hæc lignũ uitæ est, cuicunq́ꝫ contigerit: & beatus est, quisquis eam nactus fuerit. Deus sapientia fundauit terram, & condidit cælum intelligentia, & scientia eius abyssi deriuantur, & nubes rorem pluunt.

Fili, huc defige oculos, ne successum & consi-

Agnosce esse dei dona quæ ꝓueniũt, nã id significatũ est ritu offerẽdarũ primicẽarũ. Deut. 26.

Cõmendatio Crucis.

Exclamatio, q. d. paucos esse q sentiant crucẽ vtilẽ esse, ꝓinde uocat beatos q ita sentiant.

Vitã in ipsa etiã cruce ꝓmittit.

consilium amittas. Hæc uitam animæ suppeditant, & ori gratiam. Securus ambulabis in uia nec pes impinget. Cum dormies non terreberis. Quoties ieris cubitum, suauiter dormies, nec metues subita mala, & impiorum tumultum. Deus enim tuebitur te, & custodiet pedem tuum, ne capiare.

DE CHARITATE præcepta.

VI.

Ne recusa benefacere alijs, si à Deo suppetit tibi, unde largiri possis.

VII.

Id est, Bis dat, qui cito dat.

Ne dic proximo tuo: Abi, redi, cras dabis, cum modo possis gratificari.

VIII.

Ne machinate proximo malum, quia abs te nihil metuit.

IX.

Ne litiga frustra cum homine qui te non læsit.

X.

Psalm. 36.

Ne æmulare hominem iniustum, nec eligeuiam eius. Quia abominatur Deus desertore, & familiariter uersatur cum rectis.

Domui impij maledicit Deus, Sed habitaculis iustorum benedicetur.

Subsan-

Subsannatores subsannat, Et humilium miseretur.

Hæreditas sapientum gloria est. At exaltatio fatui ignominia est.

CAP. IIII.

AVdite filij paternam castigationem, & adijcite animũ ad cognoscendam intelligentiam. Doctrinam enim bonã vobis propono, legem meam ne relinquite. Fui & ego patris mei filius, & inter filios matris tenerrimus & vnicus, docuit me, & dixit. Si doctrinã meam amplexus fueris, & præcepta mea custodieris, uiues. Compara sapientiam, compara intelligentiam. Ne obliuiscere, ne discede à sermone meo. Seruabit te, si non deseruerís custodiet te si dilexeris. Præ omnibus fructibus sapientum compara sapientiam, & præter facultates tuas intelligentiam possíde, quod si eam magnificeris, te uicissim exaltabit. Si fueris eam amplexus uicissim te glorificabit, ornabit & coronabit. Audi fili, & sermonem meum accipe, ut prorogetur tibi uita. In semitam sapientiæ

Rursus instituit adhortationem, subinde idem inculcans, et suo more rhetoricatur.

Mũdus fructus sapiẽtiæ uitam, successum, etc. amat, sapientiam non item.

& in regiam uiam deducam te, ubi iter faciens non angeris, nec rues cum curres.

Perdura in castigatiõe, ne defatigeris: obserua eam, uitam enim adfert tibi. In semita impiorum ne uersare, nec incede in uia malorum, sed deuita eam, nec per eam transeas, deflecte ab ea, & præteri. Neq; enim dormire possunt, nisi malũ aliquod facinus perpetrarint. Nec capiunt somnum, nisi ruinã fecerint. Victitant enim pane impie quæsito, & uinum bibunt iniuste partum. Via iustorũ sicut lux inclarescit, quæ subinde fit illustrior, ad medium usq; diem. Via impiorũ ceu caligo est, nesciunt ubi ruant.

Præcepta de sermone, oculis et incessu.

Fili aduerte animum & sermonẽ meum, ad sermonem meum inclina aures tuas, in hunc defige oculos, adserua in corde tuo. Vitam enim adfert ijs, qui inuenerint eum, & est salubris omnibus. Summa cura custodi cor tuum, inde enim uita egreditur.

Os.

Depone peruersos sermones, & blasphema labra remoue abs te.

Oculi.

Ne passim uagentur oculi, sed recta te præcurrant.

Incessus.

Recta incede, & uiæ tuæ rectæ sint.

Nec declina ad dextram aut sinistram, deflecte à malo.

CAP.

CAP. V.

FIli, animaduerte sapientiam meam, aures accommoda prudentiæ, ut obserues consilia, & custodias scientiam.

Stillans fauus est scorti os, & mollius est quàm oleum collum eius. Verum postrema amara sunt uelut absynthium, & acuta ceu gladius, pedes eius ad mortem descendunt, & ad inferos properant gressus eius. Non recte incedit in uitæ semita, uagi sunt gressus eius, quos nec ipsa agnoscit. *De Scortatione.*

Proinde fili ausculta mihi, nec â sermone meo discede, uiam eius procul fugito, nec accede ad fores ædium eius.

DE PRODIGALITATE.

Prodigalitas etiam uerbo Dei damnata. Crudeles vocat q simulăt amicitiă sui cõmodi gratia.

Ne des alijs facultates tuas, & annuos prouentus tuos ne effundas in crudeles, ne opibus tuis alieni diteſcãt, & pecunia tua in alienas ædes transferatur. Tandem enim gemes, ubi uictum tuum consumpseris, ac dices. Cur odi castigationem, & increpationem subsannaui, nec magistris auscultaui, nec au-

res præbuisſs, qui meliora docebãt pene obruerunt me omnia mala, cum in cõciliabulis hominum uerſarer.

DE VSV RERVM propriarum.

Nã admiſtres rẽ familiarẽ, ut & cõſerues et cum alijs cõmunices, ut in Ephe. Paulus docet.

Bibe aquã e tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe. Fontes tui foras deriuentur, & riui promanẽt in plateas. At tu dominus eſto horum ſolus, non alieni tecum. Benedicentur enim fontes tui.

DE CONIVGIO.

Exhilaret te uxor, quam adoleſcens ducisti iucunda cerua, & uenuſtus hinnulus. Illius te amor perpetuo exaturet, & amore eius ſemper fruere.

DE SCORTATIONE.

Cur ſeduceris fili mi à ſcorto, & alienam amplecteris mulierem? Non procul oculis Dei ſunt uiæ hominum, is omnes eorum ſemitas conſiderat. Sua ipſius improbitate impius capitur, & ſuis laqueis irretitur. Morietur cum non ſit caſtigatus, eritq; ei exitio ingens ſtultitia.

CAP.

CAP. VI.

FIli, si pro altero spoponderis, obstrinxisti fidē tuam, irretitus es tuis uerbis, captꝰ tuo sermone. Proinde fac, ut expedias te, posteaquam in manum proximi incidisti, uade, curre, insta proximo tuo, ne concedas somnum oculis, neue obdormiāt palpebræ. Euade uelut ē manibꝰ uenatoris caprea solet, aut auicula ē manibus aucupis. *Spōde, noxa, præsto est, iubet aut tū diffidere, tum res pprias conseruare, iuxta regulam. 2. Cor. 8.*

DE LABORE.

Abi piger ad formicam, cuius cōtemplare morem, ut sapiens fias. Illa tametsi nec principem, nec præfectum, nec ducem habeat, tamen æstate cibum parat, & colligit in messe alimentum. Quāmdiu piger dormies? Ecquando à somno surges? paulum modo, inquis, dormitabo, paulum modo somno uacabo, paulum modo conseram manus, & componam me ad recumbendum. At interea ceu uiator ueniet inopia, & obruet te paupertas, ceu latro.

DE CONTENTIONUM AUTHORIBUS.

Nihili homo, ut iniquus, ore peruerso incedit. Fingit uultū ac incessum, digitis gesticulatur

latur peruerso corde, malum semper molitur, & contentionum autor est. Proinde mox obruetur calamitate, cõtereturq́, neq́ quisquam ei mederi poterit.

Hæc sex odit Deus, septimum etiam plane abominatur: Superbos oculos, Mendacem linguam, Manus quæ innocẽter sanguinem fundunt, Cor iniqua consilia machinãs, Pedes qui properant ad mala, Testem mendacem, Autorem dissensionis inter fratres.

DE ADVLTERIO.

Fili, præcepta patris obserua, et legem matris ne reiicias, alliga ea cordi tuo, & adnecte gutturi. Cum ambulaueris ducent te, cum dormies excubabunt super te, & cum surges eloquere ea. Est enim præceptum lucerna, & lex lumen, & uitam adfert increpatio & castigatio. Memineris præceptorum, ut custodiant te à scelerata muliere, & à blanda lingua scorti. Ne pulchritudine eius inflammeris, neue capiant te oculi eius. Captat enim scortum frustum panis, adultera uitæ etiam insidiatur.

Contagio mali. Vt fieri nequit, quin adurat uestem, quisquis ignem in sinu fouerit, & pedes haud dubiæ leserit, quisquis supra carbones incesserit:

Ita

Ita quisquis ad alterius vxorē accesserit, quisquis attigerit feret infortunium.

A iudicio dei grauius quã fures multari moribus

Non est probro furi, cum esuriens furatur, ut uitam sustentet. Nam deprehensus uel septuplū, aut rem familiarem suam uniuersam rependerit. At stulti cum mœchantur, uitam amittunt, plagam & dedecus auferunt nec ignominiam unquam abolere possunt. Nam apud virum cum zelotypia utitur, nō est uenię locus, ficubi ulcisci datur, nec ignoscet, ut maxime placare coneris, nec muneribus, quamuis multa offeras, flecti se patitur.

CAP. VII.

DE ADVLTERIO.

FIli sermonem meum serua, & præcepta mea manda memoriæ. Quod si seruaueris præcepta mea, & legem meam uelut oculorum pupillas, uita tibi continget, age, suspende ea à digitis tuis inscribe tabulis cordis tui. Complectere sapientiam tanquam sororem, & intelligentiam tanquam amicam. ut custodiant te ab aliena muliere, à scorto quod blāditijs tibi insidiatur. Equidem cum

per feneſtram ædium mearum per cancellos proſpicerem, uidi inter imperitos adoleſcentem ſtultum, crepuſculo tranſeuntem in platea ad angiportum, non procul à ſcorti ædibus. Ecce ibi occurrit ei mulier meretriceo habitu, fraudulenta, clamoſa, male morata, cuius pedes domi nunquam quieſcunt, & quæ inſidias ſtruere ſolet, domi, foris, in uicis omnibus. Hæc amplexa iuuenem diſſuauiatur impudenter, & inquit: Sacrum hodie feci, quare prodij ut quærerem te, ac occurrerem tibi, bene ceſſit, inueni te, lectum ornaui uariæ, & conſtraui Aegyptijs tapetis, frondibus, myrrha, aloe & cynnamomo. Ades, amori indulgebimus in craſtinum uſq; , amore nos exhilarabimus. Neq; enim domi marit⁹ eſt, ſed procul abijt, accepto ſecum uiatico, nec certum eſt quando ſit rediturus.

Iuuenis multis illecebris & blandicijs expugnatus ac perpulſus, ſequitur, & ceu ad lanienam bos, ac uelut cõpedibus iniectis, quibus fatui uincti cohercentur, pergit, donec telo iecur ictum findatur, & perinde atque auis ad laqueum properat, ignorans ſe inſidijs excipi.

Proinde filij audite me, & animaduertite uerba mea. Ne expatietur ad uias eius cor tuum

um, neue ingrediare semitis eius. Multos enim sauciauit ac strauit, & omnes fortes iugulauit. Domus eius uiæ inferorũ sunt, isthac ad mortem iter est.

CAP. VIII.

πρότρεπτικὸς λόγος.

Rursus instituit adhortationẽ subinde eadem ingeminans.

NOnne sapiẽtia clamat: & intelligentia edit uocẽ? in summis uerticibus, in uia, inter semitas stãs, iuxta portas ciuitatis, in foribus clamitat. Vos uoco uiri, uox mea ad filios Ãdam, intelligite imperiti astutiam, & fatui resipiscite. Audite, loquar enim conspicua, & aperiam labia, ut recta doceam. Quia ueritatem loquetur guttur meũ, & abominãtur labia mea impium. Iusti sunt omnes sermones oris mei. Non est in eis peruersum, ac subuersio. Plani sunt prudentibus, & recti sunt scientiam sectantibus. Accipe castigationem meam præ argento, & scientiam præ auro electo. Quia melior est sapientia margaritis, & omnia iucunda non possunt ei conferri.

Verbũ Dei cõspicuum et ob oculos esse debet omnib. vt Deut. sexto mandatum est.

Ego

Ego sapientia adiungo mihi astutiam & scientiam consilij.

Timor Dei odium est mali, superbiam & arrogantiam, & uiam malam, & os peuersum odi.

Penes me consilium, & successus est, Ego intelligentia sum, penes me est potentia, Per me reges regnant, & principes cõstituunt iusta. Per me domini dominantur, & regnant omnes iudices terræ.

Ego diligentes me diligo, & quærẽtes me. Diuitiæ & gloria penes me. Opes duraturæ & iustitia. Melior est fructus meus auro & obrizo, & prouentus meus argento electo. In uiam iustam duco, & in semitas iudicij, vt recte ditem diligentes me, & thesauros eorũ cumulem.

Verbi potentiã creatione probat.

Dominus possedit me initio uitæ suæ, ante opera eius eram. Ab æterno ordinata sum ab initio ante terram. Nondum abyssi erant cum formaret, nondum frontes aquis redundabant. Priusquam montes submersi sunt aquis, & ante colles formata sum. Nondum fecerat terram, & fines eius, & uertices puluerum orbis. Cum cœlũ erigeret, ibi ego eram. Cum circulum constitueret abysso, cum nubes desuper formaret. Cũ fontes abyssi con-

deret,

deret, cum poneret mari terminum, & aquis ne prætergrediantur locum suum. Cum constitueret fundamenta terræ, aderam adiutabāq̃. Sum in delicijs eius quotidie, ludo coram eo semper, ludo in orbe terræ eius, & delecto filios hominis.

Nunc itaq̃ filij audite me. Beati qui uias meas obseruant. Audite castigationem, & sapite, & ne negligite. Beatus qui audit me, & aduigilat ad foras meas quotidie, ad obseruanda limina ianuæ meæ. Vitam enim inuenit, quisquis me inuenerit, et hauriet uoluptatem à domino. Qui peccarit in me, iniurius est animæ suæ. Quisquis odit me, mortem diligit.

CAP. IX.

SApientia ædificauit domum suam, dolauit innumeras columnas, mactauit uictimas, & fudit uinum, & instruxit mensam suam. Misit puellas suas uocatum ad arcem excelsam ciuitatis. Imperiti huc declinēt. Et stultis dixit: Venite, comedite panē meū, & bibite vinum, quod miscui uobis.

Sic reli-

Si reliqueritis imperitiam, vita continge vobis, & ingredemini in uiam intelligentiæ.

Qui castigat subsannatorem, ignominia adficietur. Et corripiens impium, contaminabitur.

Cõuenit cũ sententia Christi. Nedetis quod sanctũ est canibus.

Ne corripe subsannatorem, ne oderit te.
Si corripueris sapientem, diliget te.
Da sapienti, & sapientior erit.
Si docueris iustum, cordatior erit.

Initium sapientię timor domini, et intelligentia est sancta cognoscere. Nam per me uita prorogatur, & augentur anni uitæ. Si sapueris, tibi sapuisti, & si subsannaueris, tu feres.

Mulier fatua, clamosa, blãda & ignaua sedet in foribus domus suæ, in sella excelsa urbis. Vocat prætereũtes, & qui recta incedunt. Imperiti huc declinent, & stultis ait: Aquæ furtiuæ dulces sunt, & panis clandestinus iucundus est. Nec scit quod mortui ibi sint, & in profundo inferno conuiuæ eius.

FINIS ADHORTA-
tionũ, quas prooemiũ uice operi præposuit.

CAP.

CAP. X.

I.

SApiens filius patrem gaudio adficit.
At stultus filius matrem adfligit.

Hic primũ incipit texere catalogum sententiarum.

II.

Non prosunt thesauri impio.
Iustitia uero liberat à morte.

III.

Non perdet Dominus fame animã iusti.
Improba consilia impiorum perdet.

Promittit pijs bona.

IIII.

Egestatem adfert manus ociosa.
Sed manus sedulorum ditat.

Præcipit laborem.

V.

Qui colligit in æstate prudens est.
Qui dormit in messe, confunditur.

VI.

Benedicetur capiti iusti.
At impios iniuria ab ipsis concepta obruet.

Promittit pijs bona.

VII.

Memoriæ iusti benedicetur.
Sed impiorum nomen sordebit.

VIII.

Sapiens corde accipiet præcepta.
At stultum os vapulabit.

Secuta

IX.

Nõ est pax impijs.

Secure ambulat probus.
Et qui uias suas peruertit, deprehendetur.

X.

Ni caueris hypocrita fallet te.

Fingens uultum damnum dabit.
Stultum os uapulabit.

XI.

Vena uitæ, os iusti.
Os impiorum iniuria obruet.

XII.

Noris non oderis.

Odium excitat contentiones.
Et omnia delicta tegit charitas.

XIII.

Narrenn soll mann mit kolben lausen.

In labijs sapientis inuenitur sapientia.
Et uirga in tergo stulti.

XIIII.

Sapientes scientiam seruant.
Os stulti accersit sibi perniciem.

XV.

Gut macht muth.

Opes diuiti sunt arcis uice.
Inopia uero pauperi animum minuit.

πλοῦτοκ ὕβρηρ τίκτει.

XVI.

Opus iusti adfert uitam.
Prouentus impij, peccatum.

Impiorum cõsilia non succedunt.

XVII.

Perferre castigationem, ad uitam cõducit.
Et deserens increpationem, errabit.

Crucem cõmendat.

Dissimu-

XVIII.

Dissimulant odium mendaces.
Stulti conuitium faciunt.

XIX.

Garrulus non uitat peccatum.
Prudens est, qui labia sua frenat.

ἀχαλί-
νων στομα
των τέ-
λος δυστυ
χία.

XX.

Lingua iusti est præcipuum argentum.
Cor impium nihili est.

XXI.

Labia iusti multos pascunt.
At stultis exitio est stultitia.

XXII.

Benedictio domini diuites facit.
Citra molestiam.

Promittit bona pijs.

XXIII.

Cum scelus perpetrat stultus, ridet.
Id uero animaduertere, sapientia est.

Impij ridēt iudiciū dei.

XXIIII.

Accident impijs quæ metuunt.
Iustis contingent quæ desyderant.

XXV.

Impius ceu tempestas præterit.
At iusti fundamentum perpetuum est.

Plautꝰ fames & mora cient bilem in naribus.

XXVI.

Ceu acetum dentes, & fumus oculos lędit
Sic piger eos, qui miserunt eum cruciat.

XXVII.

Timor domini prorogat uitam,
Et anni impiorum breues sunt.

XXVIII.

Iustos, læta manent.
Et spes impiorum perit.

XXIX.

Via domini addit animum probis.
Frangit animos malis improbitas.

XXX.

Iustus perpetuo non euertetur,
Et impij non erunt superstites in terra.

XXXI.

Os iusti propugnabit scientiam,
At lingua peruersa perit.

XXXII.

Labia iusti meditantur bona,
Sed os impiorum peruersa meditatur.

CAP. XI.

I.

Et cõtumeliosi sunt supbi, et uicissim contemnẽtur.

LIbram iniustam abominatur dominus,
At pondus iustum delectat eum.

II.

Superbiæ comes est contumelia,
Sed apud modestos est sapientia.

Inte-

III.

Integritas rectorum deducit eos,
Exitio est impijs deflectere à iure.

IIII.

Non prosunt diuitiæ in die iræ,
At iustitia liberat à morte,

V.

Iustitia integri dirigit uiam suam,
At in impietate sua cadit impius.

VI.

Iustitia rectos liberat,
Et in improbitate sua capiuntur scelerati.

VII.

In morte hominis impij, perit spes,
Et expectatio impiorum perditio est,

VIII.

Iustus eripitur ex aduersitate,
Et pro eo perit impius.

IX.

Ore simulator euertit proximum suum
Sed iusti depræhendunt ac liberantur.

X.

Cum florent iusti, gaudet ciuitas,
Et in perditione impiorum lætatur.

XI.

Benedictione rectorũ fortunatur ciuitas,
At impiorum consilijs euertitur.

ἥδε κακὴ βούλι τω βουλεύσαντη κακίστη.

Altera manu lapidẽ altera panẽ. Nec uirib. nec cõsilijs nostris, sed benedictione diuina seruanda respubl.

XII.

Qui famam proximi lædit, stultus est.
At uir intelligens tegit probra.

XIII.

Vis nõ seruat. Resp. sed cõsilium πολιτεία & q. ait multi cõsultores.

Susurro reuelat arcanum,
At qui fideli animo est, rem tegit.

XIIII.

Sine gubernatione corruit populus.
Salutem adferunt multi consultores.

XV.

Male adfligitur qui spoponderit pro alio.
Et qui vitat stipulationes, securus est.

Propert. Ampla satis forma pudicitia.

XVI.

Mulier quæ honorem tuetur, gratiosa est,
Fortes sunt, qui diuitias augent.

XVII.

Verũ amici officiũ.

Beneficus suum ipsius genium defraudat.
Crudelis propinquo damnum etiam dat.

XVIII.

Impius opus facit irritum.
At qui serit iusta, mercedẽ perpetuã cõsequet.

XIX.

Iustitia conducit ad uitam.
At qui sequitur malitiam mortem accersit.

XX.

Abhominatur dominus cor peruersum.
Et placent ei probi.

Mali

XXI.

Mali vtut inter sese suspirarint, nō elabent,
Semen iustum euadit.

XXII.

Mulier formosa q̄ immodesta est, nō dissimilis est porco, naribus aureū torquē gerenti. *Ampla sententis formaetc.*

XXIII.

Desyderium iustorum placet Deo,
Sed expectationi impiorum succenset Deus.

XXIIII.

Quidam largiuntur, & tamen ditescunt, *Liberalibus benedicit Deus.*
Quidam parci, quanquam magnas opes habuerint, subinde pauperiores fiunt.

XXV.

Qui liberaliter benedicit, impinguatur.
Qui inebriat, inebriatur.

XXVI.

Qui non communicat frumenta, ei maledicetur in populo. *Facite vobis amicos de Mammona.*
At benedicetur uendenti.

XXVII.

Bona eueniunt bona consectantibus,
Mala accidunt mala quærentibus.

XXVIII.

Qui confidit diuitijs suis, corruet,
Et iusti, ceu folium uirebunt.

XXIX.

Qui perturbat domũ suam, uẽtos accersit.
Et stultus sapienti seruiet.

X X X.

Fructus iusti est lignum uitæ.
Et capit animas sapiens.
Cum iustus in terra persoluat,
Quanto magis impius & peccator?

Discordia summæ res dilabuntur

Nihil melius clementia Cũ iusti adfligũtur haud dubie nõ ignoscetur impijs.

CAP. XII.

I.

Qui diligit castigationẽ prudẽtior erit.
At qui odit disciplinam, stultus est.

Crucis cõmendatio.

I I.

Bonus haurit uoluptatem à Deo,
Sed uir scelestus damnabitur.

Tãetsi coram mũdo patiatur.

I I I.

Impietas nulli prodest,
At iustorum radix non commouebitur.

Deus tamẽ consolatur

I I I I.

Mulier sedula corona est uiri,
At illaudata mulier tabefacit ossa.

Mulierem decet esse οἴκουρον et custodẽ rei familiaris,

V.

Cogitationes iustorum iudicia sunt,
Industria impiorum fraus est.

V I.

Verba

Verba impiorum insidiantur sanguini.
At os iustorum liberat.

VII.

Euertentur impij, & non erunt,
At iustorum domus durabit.

VIII.

Propter prudentiam suam laudabitur uir,
At iniquus pudefiet.

IX.

Homo abiectus qui suum officium facit,
Præstat glorioso qui pane indiget.

X.

Agnoscit iustus iumentorũ suorũ animas,
At cor impiorum crudele est.

XI.

Qui agrum suum colit, satur erit panum,
At qui sectatur ocium, stultus est.

XII.

Exitium uenant impij, qcquid desyderant
At iustorum radix ferax est.

XIII.

Prauis labijs capitur malus,
Sed euadit ex aduersitate iustus.

XIIII.

Ex fructu oris quisq; saturatur bono.
Et retribuetur homini iuxta opera sua.

XV.

σπάρταμ ἔλαχες τάυταμ κόσμῃ.

Nulla re abutitur iustus.

σπάρταμ ἔλαχες et cet.

ἥδε κακὴ βούλη

Via stulti recta est in oculis suis,
At sapiens consilium audit.

XVI.

Stultus statim prodit iram suam,
At dissimulat iniuriam callidus.

XVII.

Veraces iustitiam palam faciunt.
Mendax testis fallit.

XVIII.

Plures necat lingua q̃ gladius. Mĕdacem oportet memorem esse. πολλοὺς κακὴ γλῶσσα.

Temere loqui pinde est ac gladio fodere.
At sapientum lingua salubris est.

XIX.

Verax labium firmum est semper.
Et mox uariat mendax lingua.

XX.

Qui machinantur mala, frustrantur,
Et gaudium comitatur eos qui pauci cõsulũt.

XXI.

Non accidet iusto dolor.
At impij obruentur malo.

XXII.

Metiri se quenq; suo modulo ac pede uerum est.

Abhominatur dominus mendacia labia.
At ueraces placent ei.

XXIII.

Non ostentat homo callidus scientiam.
At cor stultorum prædicat stultitiam.

XXIIII.

Sedu-

Sedula manus dominabitur,
Ociosa sub tributo erit.

Prædicatur labor ac diligentia.

XXV.

Sollicitudo animum cruciat,
Bonum uerbum exhilarat.

Euangelio eriguntur conscientiæ

XXVI.

Iustus fœlicior est proximo,
At uia impiorum ipsis exitio est.

Successus à deo est, Diligentiam præcipit.

XXVII.

Negotiatio ociosi non est fœlix,
At seduli ditescunt.

XXVIII.

In semita iustitiæ uita est,
Et in uia plana non est mors.

CAP. XIII.

I.

Filius sapiēs eruditionē paternā sustinet,
At subsannator nō audit increpationē.

II.

De fructu oris uir bonus adficietur.
Et anima contemptoris malis adficietur.

III.

Qui custodit os suum, custodit uitā suam,
At qui temere aperit labia sua, terrebitur.

Diligentiã præcipit.

IIII.

Cupit piger & eget,
Anima sedulorum saginabitur.

Impijs uoluptas est, alienam famã lædere.

V.

Mendacium odit iustus,
At impius confundit & maledicit.

VI.

Benedictio domini fortunat opes
Gut macht muth.

Iustitia seruat probos,
Et impietas deflectit ad peccandum.

Gloria iustorum est fœlix.

VII.

Diuites quidã sunt tametsi nihil habeant,
Paupes alij sunt, tãetsi magnas opes habeãt,

Cõsulti inter se cedunt, cõdonãt, ut pacẽ seruent.

VIII.

Redimitur uita diuitijs,
Et egenus non perfert increpationem,

IX.

Lux iustorum gaudium adfert.
At lucerna impiorum extinguetur,

Parsimonia magnũ uectigal.

X.

Prorsus inter superbos est contentio,
Et apud consultos sapientia est.

Etiam celeritas ĩ desyderio mora est.

XI.

Opes prodigalitate minuuntur,
Et pársimonia augentur.

XII.

Expectatio dilata cruciat.
Et lignũ uitæ est si præsto adsit quod cupis.

Qui

XIII.

Qui contemnit uerbum, male habebit,
Qui timet mandatum pace fruetur.

XIIII.

Institutio sapientis, fons uitæ est, ad uitandos laqueos mortis.

XV.

Fœlix prudentia iucunda est,
At tua contemnentium aspera est.

XVI.

Omnia facit callidus cum iudicio.
Fatuus stultitiam prodit.

XVII.

Nuncius impius conijciet in mala.
Legatus uerax salubris est.

XVIII.

Egestas & ignominia penes eum est, qui castigationem negligit.
At qui obseruat increpatiões, honore adficietur.

XIX.

Præsens uoluptas delectat animum.
Et abominantur fatui declinantem à malo.

XX.

Qui cum sapientibus uersatur, sapiens erit,
At stultorum socius male habebit.

XXI.

Peccatoribus mala impendent,
Et iustis

Prudentia non est fœlix, nisi fortunet deus. Sicut est cernere in Ahitophel. Demosthene, Cicero.

Temeri pergũt fatui, iuxta parœmiã, germa. derhaspl musspun sack.

Oderunt crucẽ ipij. Talis unusqsq; qualium utitur consuetudine.

Et iustis reddetur bonum.

XXII.

Psalm. 36. Boni hæredes relinquent filios filiorum.
Et reponuntur iusti opes peccatorum.

XXIII.

Benedictio Dei fortunat. Multum escæ est in sulcis pauperum.
At alij iniurijs parant opes.

XXIIII.

Pædagogiam præcipit. Qui abstinet uirgam, odit filium suum,
Qui uero amat eum, quærit ut erudiatur.

XXV.

Τὸ παχύμ ἐυτίθεσθαι. Iustus comedit, & fit satur.
Venter impiorum eget.

CAP. XIIII.

I.

Sapiens mulier ædificat domum suam.
Stulta uero euertit eam.

II.

Qui timet Deum, recte ambulat,
Qui contemnit eum, ê uia eius discedit.

III.

In ore stulti superba est uirga,
Et labia sapientum obseruat.

Autoritatem sibi arrogant stulti, ut in Pontifi. Decretis apparet.

IIII.

vbi non

Vbi non sunt boues, præsepe uacuum est. Sed multi prouentus obueniunt per robustũ (bouem. *Labor præcipitur.*

V.

Testis uerax non mentitur. Mendaces confidenter mentiuntur. *Cõtemnũt iudiciũ dei.*

VI.

Quærit subsannator sapiẽtiã & nõ inuenit. Et scientia cordato facilis est. *Subsannatores contemnũt sapientiã dei ideo demẽtantur.*

VII.

Si incideris in stultũ, non deprehendes labia scientiæ. *Id est, imperito nunq̃ quicq̃ iniustius.* *Esa. 28. Domi sapiendũ, non foris.*

VIII.

Sapientia callidi, est uiam suã obseruare, At stultitia fatuos fallit.

IX.

Stultus subsannat delictum. Et recti placent.

X.

Dum cor angitur, nõ capitur solacijs quæ extrinsecus adhibentur. *Perturbato cordi nihil est iuciũdum. Fallitur caro sua iustitia & sapientia.*

XI.

Domus impiorum euertetur. Sed tabernacula rectorum florebunt.

XII.

Plerisq̃ uidetur uia recta, cuius exitus est uia mortis.

XIII.

Etiam

Humana solatia pereunt.

Etiam in risu dolet cor,
Et finis risus est calamitas.

XIIII.

Dabunt pœnas reprobi,
Et conculcabunt eos probi.

Præcipit ut malos doctores vitemus.

XV.

Imperitus credit omnia,
At callidus animaduertit gressus suos.

XVI.

Qui non moderabitur iræ infectũ uolet esse dolor quod suaserit.

Sapiens timet & discedit à malo,
At stultus pergit confidenter.

XVII.

Impatiens iræ designat stultitiam,
At cautus odit stultitiam.

XVIII.

Imperitò nunq̃ q̃dq̃ iniustius Iusti impetrabũt impijs, iudicabũt impios tametsi aliq̃tisper opprimãtur.

Penes imperitos stultitia est,
Sed callidi coronantur scientia.

XIX.

Curuabuntur mali in cõspectu bonorum,
Et impij ad portas iustorum erunt.

XX.

Etiam proximo odio est pauper,
Et multi sunt diuitum amici.
Donec eris fœlix multos numerabis amicos.

XXI.

Contemnit proximum suum peccator,
Et beatus erit qui misereretur calamitosi.

XXII.

Non-

Nonne frustrātur qui machinātur malū? Et benigne & fideliter agetur cum bonis. *Pollicetur bona pijs.*

XXIII.

Labor abundantiam adfert, Vbi uerbis res geritur, inopia est. *Laborem præcipit.*

Viel geschrey &wenig wollenn. Hypocritæ magna de se pollicentur.

XXIIII.

Diuitiæ sunt ornamento sapientibus, Stultis nihil nisi stultitia est. *Stultitiam patiuntur opes.*

XXV.

Verax testis liberat animas, Et mendax decipit. *Vere iudicare saluti rebꝰ pubi.*

XXVI.

Timor Dei tutum munimentum est, Et timentes Deum bene habebunt,

XXVII.

Timor Dei fons uitæ, ad uitandos laqueos mortis. *Pijs bona promittit.*

XXVIII.

Frequentia populi regem decorat. Et formidat qui paucis est stipatus. *Ornamēto est principi concordia populi.*

XXIX.

Patiens multa intelligit, Iracundus prodit stultitiam. *Inuidus alterius animus rebus marcescit*

XXX.

Hilaris animus uita est, Et tabefacit ossa inuidia. *Qui opimis.*

XXXI.

Deus author paupertatis.

Qui pauperem calumniatur, cõuicium facit eius factori.
Et honorat Deũ quisquis miseretur paupis.

XXXII.

Succumbit in calamitate impius,
Et sperat etiam in morte iustus.

XXXIII.

In animo cordati uersatur sapientia,
Et inter stultos innotescet.

Tandem fit ut stulti conuincãtur, sicut Iudæi resurrectione Christi conuicti sunt.

XXXIIII.

ἥδε κακὴ βούλι etc.

Iustitia exaltat gentem.
Perdit populum peccatum.

XXXV.

Placet regi seruus prudens.
Et succenset turpi.

CAP. XV.

I.

Comitate uincẽdi morosi.

MOllis responsio mitigat iram.
Sermo asper prouocat iram.

II.

Lingua sapientis facit acceptam sciẽtiam.
Os stulti effutit stultitiam.

In omni

III.

In omni loco oculi Dei cõtemplantur bonos & malos.

IIII.

Salubris lingua lignum uitæ est.
Et fallax lingua perturbat animum.
Plus necat lingua quàm gladius.

V.

Stultus calumniatur paternã castigationẽ.
At obseruans increpationes callidior fit.

VI.

In domo iusti multi thesauri sunt,
At prouentus impij perditio est.

VII.

Labia sapientum ferunt scientiam.
Non autem cor stultorum.

VIII.

Sacrificia impiorum abominatur dominꝰ,
Et oratio rectorum placet ei.

IX.

Abominatio est domino uia impij.
Et sectantem iustitiam diligit.

X.

Eruditio mala est semitam deserere,
Et qui odit increpationes, moritur,

XI.

Cum infernus & perditio Deo pateant?
Quanto magis corda hominum ei patent?

Et in secũdis et in aduersis reb. spectanda dei volũtas

Stulti sunt qui corripi volunt.

Hypocritarum sacrificia dãnat vt Psal. 49

Nō ferunt impij castigationem.

XII.

Non diligit subsannator corripientem se, ad sapientes non accedit.

XIII.

Lætus animus exhilarat vultum.
Et in mœrore cordis spiritus debilitatur,

Personæ imponunt nobis, & authoritate magnorū sæpe impie mouemur.

XIIII.

Cor intelligens quærit scientiam,
Facies stultorum stultitiam pascit.

XV.

Misera est vita adflictorum,
Et hilare cor conuiuium perpetuum est,
Si conscientia sit mala, nihil recte succedit, ut Saul.

Molestia mala cōsci entia, quæ facit ut nihil recte succedit.

XVI.

Melius est modicum cum timore Dei,
Quam thesaurus ingens cum molestia.

XVII.

Præstat pauxillū oluscul citra molestiam,
Quam saginatus taurus cum molestia.

Vincuntur mansuetudine iracundi

XVIII.

Vir iracundus excitat contentionem.
At patiens sedat contentionem.

Damnātur hi qui non faciūt officium suū.

XIX.

Via pigri obsita sentibus est,
At semita bonorum plana est.

XX.

Filius sapiens exhilarat patrem,

At

At stulti pudet matrem.

XXI.

Stultitia fatuo uoluptas est,
Cordatus homo dirigit uiam suam.

XXII.

Frustrantur cogitationes, in quibus non est consilium.
Et multitudine consiliorum firmæ erunt.

XXIII.

Apposite respondere, uoluptatem adfert.
Et sermo oportunus optimus est.

XXIIII.

Semita uitæ sursum fert,
Vt doceat uitare infernum deorsum situm.

XXV.

Domum superborum diruit Deus,
Et erigit limitem uiduæ.

XXVI.

Abominatur Deus consilia praua,
Mundorum consilia probat.

XXVII.

Perturbat domum suam auarus,
Et qui odit munera uiuet.

XXVIII.

Cor iusti meditatur quid respondeat,
Os impiorum temere effutit praua.

XXIX.

Caro probat sua cõsilia.

Infœlix temeritas.

In tpe doceri moneri, saluberrimũ est, Ad Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite.

Superbis resistit Deus.

Ὁδὸς κακὴ βούλη.

Procul est dominus ab impijs.
Et preces iustorum exaudit.

XXX.

Euangeliũ vitã adfert

Serenus uultus exhilarat cor.
Fama bona saginat ossa.

XXXI.

Sapientes ferũt castigantem.

Auris audiens increpationem uiuificã inter sapientes morabitur.

XXXII.

Qui negligit castigationem, aspernatur uitam suam.
Audiens increpationem sapiens erit.

XXXIII.

Docet qd nocet sapientiam, nõ hũana cõsilia, sed timorẽ Dei.

Timor Dei est castigatio qua sapientiã cõsequimur.
Et gloriam præcedit deiectio.

CAP. XVI.

I.

Deus facit omnia iuxta cõsilia voluntatis suæ, ad Ephesios.

HOmo instituit in animo.
Verum à domino sermo linguæ est.

II.

Hominibus suæ uiæ mundæ uidentur.
At Deus dijudicat spiritus.

III.

Sic com.

Si commiseris domino opera tua, Psalm.36.
Consilia tua fortunabuntur.

IIII.

Omnia facit dominus propter se,
Etiam impium ad diem malum.

V.

Abominatur dominus omnes superbos,
Non elabentur vtut inter se conspirent.

VI.

Benignitate & fide expiatur iniquitas, Hypocrisis humanæ satisfactiões nõ placant Deum, sed verũ cor.
Et in timore domini declinatur à malo.

VII.

Cum placent Domino uiæ hominis,
Etiam inimicos eius reconciliat ei.

VIII.

Melius est parum cum iustitia,
Quàm magni reditus male parti. Male partum, male dispersit.

IX.

Cor hominis deliberat de uia sua, Reges oportuit diuinare, hoc ẽ, indicare. πνευματικῶς.
Dominus uero promouet gressus suos.

X.

Diuinant labia regis,
Nec fallitur in iudicio os eius.

XI.

Libra & statera iudicium domini sunt, Publicũ ius dei opus ẽ,
Et ipse author est ponderum.

XII.

Abominantur reges impietatem,
Nam iustitia thronum fortunat.

XIII.

Placent regibus labia iusta,
Et veraces diliguntur.

XIIII.

Metui uult maiestatẽ publicorũ magistratuum.

Indignatio regis nũtium est mortiferum,
At vir sapiens placabit.

XV.

Serenus vultus regis vita est.
Et beneuolentia eius uelut pluuia serotina.

XVI.

Satius est sapientiam cõparare q̃ aurum,
Satius intelligentiam cõparare q̃ argentum.

XVII.

Gressus rectorum discedunt â malo,
Custodit uitam suam, qui uiam suã custodit.

XVIII.

Tolluntur in altũ, ut lapsu graui ore ruãt.

Præit dilectioni superbia,
Et anteit ruinam superbia animi.

XIX.

Crucis præconium.

Melius est deiici animo cum calamitosis,
Quam regnare & locupletari cum superbis.

XX.

Prudentia est Deo fidere.

Prudenter tractans rem, reperiet bona,
Qui confidit Deo, beatus est.

XXI.

Sapien-

Sapiens sapientem consulit, & suauitas sermonis cōmendatiorem facit doctrinā, Prudentia uena uitæ est. — *Sapientes inter se cōsulunt.*

XXII.

At castigatio stultorum, stultitia est. *φιλαυτῶιϱ sua cōsilia placent.*

Stulti non mutāt in melius, etiā si quid mutarint, vt in Saul & Achas adparet.

XXIII.

Cor sapiens, os docet, & doctrinam. *Sapientes meditati loquuntur.*
Commendant labia eius.

XXIIII.

Fauus mellis est sermo iucundus,
Dulcedo animæ & medela ossium est.

XXV.

Est uia quæ recta uidetur oculis hominū, *Fallimur nostra sapientia & iustitia.*
Cuius exitus est uia mortis.

XXVI.

Dat pœnas stultiloquentiæ os futile. *ἄχαλίνων ϛομάτων τέλος δυϛυχία.*

XXVII.

Homo nihili sibi malum accersit.
In labijs eius est ignis comburens.

XXVIII.

Homo peruersus excitat contentionem,
Et delator sępe inter principes dissidiū cōcitat

XXIX

Homo violentus lactat amicum suum, *Fallunt fucati amici.*
Et ducit per uiam malam.

XXX.

Qui multum fingit machinatur malum.
Qui labra componit mala perpetrabit.

XXXI.

Senectus veneranda est. Leuiti. decimonono.

Honesta corona senectus,
Si in uia iustitiæ reperietur.

XXXII.

Præstãtior est patiẽs, quàm uir fortis: præstantior item est qui animo suo dominatur, quàm qui urbes capit.

Sæpe uincas patientia, quem non viceris impetu.

XXXIII.

Deus regit omnia.

In sinum deiiciuntur sortes,
At â Deo iudicium earum proficiscitur.

CAP. XVII.

I.

Melius est siccum frustum cum tranquillitate, quàm domus plena mactatis pecoribus cum contentione.

II.

Seruus prudens dominabitur filio turpi.
Et inter fratres diuidet hæreditatem.

III.

Vtar.

Vt argentum excoquitur, & in fornace, probatur aurum.
Ita dominus corda probat.

IIII.

Malus auscultat improbo sermoni,
Mendax obsequitur pernicioſæ linguæ.

V.

Qui ridet pauperem, conuicium facit factori eius. Deus paupertatis author.
Et cui calamitas alterius uoluptati est, non feret impune.

VI.

Corona senum filij filiorum sunt,
Et decus filiorum patres eorum.

VII.

Non decet stultum superbus sermo, * Iactantia damnatur.
Nec regem decet mendax labium.

VIII.

Bella gemma est donum.
Quorsum se uerterit dominus eius.
Munera crede mihi placant homines; deos;.

IX.

Qui cælat alienũ delictum, facit ut ameſ. Eximia est
At qui palam facit rem, inter principes dissi- virtus præ-
dium concitat. stare silen-
tia rebus.

X.

Obiurgatio magis terret cordatum, quàm

centũ plagæ fatuum. *Ne plagis quidem impij emendantur.* Esa. 9. X I.

Vindictam prohibet. Contentiosus machinatur malum,
Et in crudelem nuncium incidet.

X I I.

Satius est occurrere ursæ orbatæ,
Quàm stulto in stultitia sua.
Nihil intractabilius insipiente fortunato.

X I I I.

Damnat ingratos. Si rependas malum pro bono,
Non discedet malum à domo tua.

X I I I I.

Lis litem serit. Litis initium perinde est ac si cubi alueum ruperit aqua.
Et ex maledictis lis late spargetur.

X V.

Abominatur Deus tum eum qui iustificat impium, tum eum qui damnat iustum.

X V I.

Quid prodest præcium stulto,
Cum ad emendendã sapiẽtiã cor nõ habeat?

X V I I.

Amicus certus in re incerta cernitur. Semper diligunt amici, & in aduersitate frater agnoscitur.

X V I I I.

Qui stipulatur ac spondet pro proximo.
Stultus est.

Diligit

XIX.

Diligit peccatum qui diligit contentiones,
& ruent qui superba moliuntur.

Superbi cõtentiosi et vindictæ cupidi sunt.

XX.

Peruersus corde non inueniet bonum.
Et peruersus lingua incidet in mala,

XXI.

Accersit stultus adflictionem sibi,
Et non gaudebit stulti pater,

XXII.

Cor lætum exhilarat uitam,
At tristitia animi arefacit ossa.

XXIIII.

Bonæ cõscientiæ præconiũ.

Munus è sinu impius accipit, ut deprauet semitas iudicij.

XXIIIII.

Impij immoderata cupiunt.

Coram cordato est sapientia.
At oculi stultorum passim uagantur.

XXV.

Patrem ac matrem dolore adficit filius stultus.

XXVI.

Magistratus religiose colipræcipit.

Malum est damnum iusto dare,
Aut principem iusta iudicantem percutere.

XXVII.

Damnatur garrulitas.

Qui parce loquitur sapit.
Non est futilis spiritus homini cordato.

Vel stul

XXVIII.

Vel stultus si taceret, sapiens reputaretur,
Et uideretur sapere, si clauderentur labia.

CAP. XVIII

I.

Moroſi nihil candide interpretantur.

CVi voluptas est dissensionem cõcitare,
Is captat ubiq; rixandi occasionem,

II.

Non libet stulto intelligere,
Sed tractare ea quibus ipse capitur,

III.

Cum uenit impietas, uenit etiam contemptus, & dedecus ac contumelia.

IIII.

Suum cuiq; pulchrum.

Verba viri velut profundæ aquæ sunt,
Et fons sapientiæ uelut vberrimum flumen,

V.

Spiritualis iudicat oĩa Stulti cõtentionum autores.

Personam impij perferre non est bonum,
Vt iustum à iudicio abducas.

VI.

ἄχαλινον στομα τῶν, etc.

Labia stulti rixantur,
Et os eius pugnam prouocat.

VII.

Os stulti sibi exitio est,

Et labia

Et labia eius laqueus animæ eius.

VIII.

Verba delatoris uerbera sunt, & penetrant uentrem. *Plures necat lingua q̃ gladius.*

IX.

Cessare perinde est ac dissipare rem,
Non minor est uirtus quàm quærere parta tueri.

X.

Arx munita nomen Domini,
Ad eam curret iustus, & defendetur.
Nomine domini defendimur non nostris uiribus.

XI.

Opes diuitis sunt ei urbis munitæ & muri loco, πλοῦτος ὕβριμ.

XII.

Ante ruinam eleuatur cor humanum. *Tolluntur in altũ, ut lapsu grauiore ruãt.*
Et anteit gloriam deiectio.

XIII.

Qui respondet priusquam audierit,
Stultus est & confunditur.
μὴ τεθύμκρ δικάσυς πρὶν ἀμφῶιμ μύθομ ἀκούσκς.

XIIII.

Hilaris animus finit ægritudinem.
Et spiritum tristem quis feret?
Nulla res humana mederi potest malæ conscientiæ.

XV.

Corda-

Non pronunciat pij temere.

Cordati probe iudicant,
Et auris sapientum quærit scientiam.

XVI.

Munus hominis facit ei usam,
Et in conspectum potentium perducit.

XVII.

Contra hypocritæ alios docent, se nõ doctt Roma. 2.

Iustus primum adcusat sese,
Et venienti proximo patet.

XVIII.

Contendentes sors componit, & inter fratres dijudicat.

XIX.

Concordia paruæ res crescunt.

Præstat habere coniunctum fratrẽ, quàm urbem munitam,
Et litigantes sicut repagulum palacij.

XX.

De fructu oris uir saturatur,
De prouentu labiorum uenter saturatur,

XXI.

Mors & vita in linguæ potestate sunt,
Et qui curant linguam comedẽt fructus eius.

XXII.

Inueniens vxorem inuenit bonum,
Et hauriet voluptatem à Domino.

Laus coniugij. A domino inquit bonum hauriet, quia id uitæ genus multas adflictiones adfert.

XXIII.

Placide

Placide loquitur egenus.
Diues dure respondet.

XXIIII.

Vir comis amicos sibi adiungit,
Et amicus adhæret firmius fratre.

CAP. XIX.

Comitis amicos parit.

I.

Melius est egeno qui probe ambulat,
quàm stulto qui praua labia habet.

II.

Vbi non est scientia, male habet homo, *Inconsulti facile ruūt*
Et qui uelox est pedibus impinget.

III.

Stultitia hominis euertit eum, *Tales sunt qui nō perferunt crucem. Num. 14.*
& cor eius Deo indignatur.

IIII.

Diuitiæ augent amicos,
& pauper ab amicis etiam deseritur.
Vulgus amicitias utilitate probat.

V.

Mendax testis non erit impunitus,
& quisquis mendacia dicit, non euadet.

VI.

Multi

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Multi fidunt persona principis,
Et nemo non est amicus eius, qui munera dat.

VII.

Omnes fratres pauperis oderunt eum, & propinqui eius procul discedunt ab eo.

VIII.

Qui uerba spectat fallitur.
Qui sapit bene habebit, & prudentes inuenient bonum.

IX.

Testis mendax non erit impunitus,
Et loquens mendacia peribit.

X.

Secũdæ res stultos, id est, incautos demẽtant & pdunt.

Non decent stultum deliciæ,
Tantum abest ut deceat dominari principibus, seruum.

XI.

Patientes sapiunt, & delictum dissimulare glorioſum est.

XII.

Metui vult magistratus.

Ceu fremitus leonis, sic regis est indignatio. Et beneuolentia eius est perinde ut ros super herbam.

XIII.

Calamitas patris est stultus filius.
Et mulier morosa est adsiduum stillicidium.

Domus

XIIII.

Domus & diuitiæ hæreditate obueniunt parentibus.
A domino autem prudens uxor.

XV.

Pigritia soporem parit,
Et ociosus fame peribit.

XVI.

Seruans mandatum, seruat animam,
Qui vias suas negligit, morietur.

XVII.

Fœnerat Domino qui miseretur egeni,
& retribuetur ei.

XVIIII.

Castiga filium tuum, dum spes est fore, vt corrigatur.
Ne commoueare vt occidas eum.

XIX.

Magna enim ira detrimentum adfert, nisi coherceatur. Dimitte eum, ut & deinceps corripias.

XX.

Audi consilium, & admitte castigationē, ut & deinceps sapias.

XXI.

Multæ cogitatiões in corde hominis sunt,
Consilium autem domini stabile est.

Dei dono prudens vxor, non deligitur nostro iudicio.

Largiri pauperib.

Necesse castigare, tā etsi nō statim succedit res.

Eueniunt nō quæ nos instituimus sed quæ deus decreuit

XXII.

Largiri pauperib.

Decora est homini beneficentia eius,
Et melior est pauper, quàm uir mendax.

XXIII.

Timor domini etiam in cruce uitã adfert.

Timor domini vitã adfert, & axaturabit,
Et habitabit sine uisitatione mala.

XXIIII.

Abscondit piger manus in sinum,
Ne ad os quidem admonet.

XXV.

Si subsannator mulctatus fuerit,
Imperitus erit callidior.

Deus punit impios, vt erudiat pios, vt adparet in Aegytijs et Israelitis.

XXVI.

Si intelligentem argueris, cautior erit.

XXVII.

Qui vexat patrem & fugat matrem, turpis est & probro dignus.

XXVIII.

Cessa audire fili eruditionem, à uerbis scientiæ seducentem.

Cauena doctrina impijt minatur.

XXIX.

Nihili testis ridet iudicium, & os impiorũ deuorat iniquitatem.

XXX.

Parata sunt derisoribus iudicia, & plagæ tergo stultorum.

Caput

SALOMONIS

CAP. XX.

I.

SVbsannatores facit vinum, & tumultus parit ebrietas. Damnat ebrietatẽ.
Quisquis illa delectatur, non erit sapiens.

II.

Terror regis est perinde ut rugitus leonis
Qui offendit, peccat anima eius. Docet metuẽdos esse magistratus.

III.

Gloria homini est desistere à lite,
Et omnes stulti contuciabuntur. Desistendum á lite.

IIII.

Propter frigus piger non arat, & mẽdicabit in messe, & nihil impetrabit. Spiritualis omnia iudicat.

V.

Velut aqua profunda est cõsilium in corde viri. At vir intelligens exhauriet.

VI.

Plericq; benefici uocantur. Nusquam tuta fides,
Fidelem autem quis inueniet? Oculus domini multum prodest in rebus omnibus gerendis.

VII.

Beati filij sunt iusti probe ambulantis.

VIII.

Rex sedens in solio iudicij, dissipat omne malum intuendo.

IX.

Quis dicet, purum est cor meum?
Mundus sum à peccato.

X.

Vetat violare ius publicum.

Variare pondera, uariare mensuram,
Abominabile apud Deum est.

Studiamẽtem indicant.

XI.

Ex studijs suis cognoscitur puer,
Munda ne & recta sint eius facta.

XII.

Non sapimus, non præuidemus, ne admoniti quidem nisi deus excitet nos.

Vt auris audiat, ut oculus uideat,
Dominus facit.

XIII.

Ne dilige somnũ, ne opprimaris egestate,
Si aperueris oculos, saturabere pane.

XIIII.

Malum est, malum est, dicunt cum tenent,
At cum amiserint, laudant.

Præsentia fastidiuntur. Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

XV.

Magni fiunt aurum & gemmæ.
Sed præciosius vas, labia scientiæ sunt.

XVI.

Spondendo præsto est.

Eripe uestimentum ei qui pro altero spondet, & pignus ab eo accipe.
Cum ille alienus sit, pro quo se obstrinxit.

Dulcis

XVII.

Dulcis est homini panis fraude partus.
Postea uero os eius arena replebitur.

Impietas arridet, sed perdit. Dānatur temeritas.

XVIII.

Consilio propositum fortunatur,
Et consilijs geretur bellum.

XIX.

Ne coniunge te cum susurrone, quia arcana reuelat, & blandicijs fallit.

Non audiendos esse delatores.

XX.

Qui maledicit patri aut matri,
Extinguetur lumen eius in medijs tenebris.

XXI.

Hæreditas præpropera principio, postea non benedicetur.

Periculosum est, si res sine cruce succedit, ideo fœlicius est regnum Dauidis quàm Saulis.

XXII.

Ne dic reddā malum, sed expecta dominum, is saluabit te.

Vindictam prohibet.

XXIII.

Abominabile est dño uariare pondera,
Et statera fallax non est bona.

XXIIII.

Omnium gressus à Deo sunt.
Et quis homo intellígit uiam suam?

Diuinitus omnia regantur.

XXV.

Impietas non expiatur hypocrisi.

Laqueus est sancta contumelia adficere, & postea vota facere.

XXVI.

Dissipat impios rex sapiens,
Et uertit aduersus eos rotam.

XXVII.

Sapiēs magistratus cauet impia cōsilia.

Exhilarari à deo uita est hominis, & penetrat totum corpus.

XXVIII.

Quē metuunt oderunt.

Beneficentia & veritas custodiunt regem, & fulcitur thronus eius beneficentia.

XXIX.

Corona iuuenum est robur eorum, & decus senum est canicies.

XXX.

Deus emēdat nos cruce.

Vulnera ac plagæ medentur malis.

CAP. XXI.

I.

COr regis in manu dei est, sicut flumina aquarum, quorsum uolet, inclinabit.

II.

Psal. 49.

Sua cuiq; uia placet.
Dominus uero corda impellit.

III.

Facere

Facere iustitiam & iudicium,
Melius est apud deum quàm uictimæ.

IIII.

Sublimes oculi, & superbum cor.
Impiorum fœlicitas, peccatum est.
Tolluntur in altum ut lapsu grauiore ruant.

V.

Consilia seduli plane abundantiã pariunt
Præcipites autem egebunt.

VI.

Qui colligit thesauros lingua mendaci,
frustrabitur, & periclitabitur de uita.

VII.

Rapinæ impiorum erunt eis exitio,
Quia voluerunt iuri obsequi.

VIII.

Improbi opera peruersa sunt,
Ad mundorum recta.

IX.

Satius est in angulo tecti habitare,
Quàm cum muliere morosa in domo ampla.

X.

Anima impij desyderat malum, & fastidit
proximum suum.

XI.

Dum mulctatur subsannator, imperitus cõ
monefit,

Impij vel cure aliene incommodo sibi nolunt cõsultum sicut Tyranni.

Et sapientes scientiam accipiunt.

Deus punit impios, ut pios commonefaciat.

XII.

Erudit iustus domum impij,
Sed deflectunt impij ad mala.

XIII.

Misereri pauperum præcipit.

Qui obstruit aurem pauperum clamori,
Clamabit ipse vicissim, nec exaudietur.

XIIII.

Donum clandestinum placat iram,
Et munus in sinu, uehementem iram.

XV.

Gaudium est iusto facere iudicium.
Exitium facere iniquitatem.

XVI.

Qui aberrat à via prudentiæ, inter mortuos erit.

XVII.

Parsimonia magnũ vectigal.

Redigitur ad inopiam qui amat gaudia,
Et quisquis amat vinum & pinguedinem, nõ ditescet.

XVIII.

Impij plectuntur pro iustis, & pro rectis cõtemptores.

Impij tametsi exitium machinentur iustis, tamen sibijpsis sunt exitio.

XIX.

Satius

Satius est in terra deserta versari, quàm cũ muliere morosa & iracunda.

XX.

Præciosus thesaurus & oleum in domo sapientis est.
At stultus homo dilapidat.

Sapientia est conseruare rem familiarẽ.

XXI.

Qui sectatur iustitiam & beneficentiam, reperit uitam, iustitiam & gloriam.

Pietatis fructus sunt. Vita, Gloria, opes, nõ parantur humana industria.

XXII.

Fortium urbem expugnat sapiens,
Et fortibus ipsorum confidentia exitio est.
Confidentia obest, ut Pharaonis exitium testatur.

XXIIII.

Qui custodit os suum & linguam suam, custodit animã suam à tribulationibus.

XXIIIII.

Superbi temere audent, & subsannatores in ira temeritatem designant.

Nimiũ cõfidũt superbi, ut Pharaõ.

XXV.

Cupiditates pigri occidunt eum,
quia noluerunt manus eius laborare.

XXVI.

Piger perpetuo cupit,
Iustus uero dat, & non comparcit.

XXVII.

Immolatio impiorum est abominatio,

Psalm.49. Quia per scelus offertur.

XXVIII.

Testis mendax peribit, & qui solet auscultare, is uicissim audietur.

XXIX.

Pertinaciter pergit uir impius,
Recti uero uia fortunatur.

XXX.

Psal.32. Non est sapientia. non prudentia,
Non consilium contra dominum.

XXXI.

Equus paratur ad bellum,
A Deo uero uictoria proficiscitur.

CAP. XXII.

I.

Fama præferenda est magnis opibus,
Et gratia melior est argento & auro.

II.

Deus dator pauperatis. Versatur apud opulentum pauper.
Facit vtrunq; Deus.

III.

Callidus mala præuidet & euitat,
Et imperiti dum pertŭpunt, damnum accipiunt.

Penes

IIII.

Penes abiectos qui Deum timẽt, diuitiæ, gloria, & uita sunt. *Humilibus*

V.

Cuspides & laquei in uia peruersi sunt,
Qui procul inde refugit, custodit uitã suam.

VI.

Si institueris adolescẽtem in uia sua, in eadem & senex perseuerabit. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.*

VII.

Diues pauperibus imperat,
Et qui mutuo accipit, seruus est fœneratoris.

VIII.

Qui mala seminat, mala metet, & plaga perdet eum.

IX.

Liberali oculo benedicetur, qui dat de pane suo egenti, *Deus benedicit largis*

X.

Si pepuleris subsannatorem, cessabit contentio, sedabiturq; lis & conuitium. *Vitandi impij.*

XI.

Rex amicus est eius qui mundiciam cordis diligit, & labiorum gratiam.

XII.

Oculi domini obseruant scientiam,
Et contemptoris consilia frustrantur.

Piger

XIII.

Piger ait, leo foris est, in platea interficiar.

XIIII.

Fouea profunda os scorti est,
Cui irascitur dominus, is in eam incidet.

XV.

Stultitia agnata est cordi adulescentis,
Virga uero castigatrix eximet eam.

Pueritia per pædogogiam coercenda.

XVI.

Qui iniuria adficit pauperē ut ditescat ipse
Is dabit ditioribus alijs, & egebit ipse.

XVII.

Accommoda aurem, & audi uerba sapientum, & animaduerte ad doctrinam meam,
Est enim pulchra, si eā serues in pectore tuo,
& labijs tuis fœliciter tractabis eam.

XVIII.

Qui doceat in summa verbū Dei, fidem quā nō docet ratio.

Commonefacio hoc assiduo, ut in Dominum colloces fiduciam tuam, tu amplectere.
Nonne tradidi tibi multipliciter consilia et
scientiam, ut docerem te veritatem quam
certissimam, ut interrogantibus uera respondere possis.

XIX.

Ne depredare pauperem, eo q; sit pauper,
nec opprimas adflictum in porta, quia Dominus causam illorum iudicabit, & perdet eos

det eos qui illis vim attulerunt.

XX.

Ne habeas commertiũ cum homine iracundo, & cum viro furioso ne versere, ne addiscas mores eius, & accipias scandalum animæ tuæ. *Ad portas iudicari res solebãt in publico loco.*

XXI.

Ne sis inter eos qui spõdent aut fidem obstringunt apud fœneratorem. Nam si nõ poteris persoluere, auferet à te lectos tuos. *Vitandi iracundi.*

XXII.

Ne transfer priscos limites, quos maiores tui constituerunt.

XXIII.

Qui mandatum maturæ exequitur, stabit coram regibus, nec inter obscuros relinquetur.

CA. XXIII.

I.

CVm accumbis ut comedas cum principe, obserua quæ præponantur, & intenta cultrum gutturi tuo, ut uitam tueare. Ne cupias cibum eius, est enim fallax cibus. *Dulcis inexpertis cultura potẽtis amici.*

II.

Ne la-

Ne labora vt diteſcas, â cõſilijs tuis ceſſa.
Ne adfectes id quod conſequi non potes,
Faciet enim alas ſibi, & uelut aquila ad cœlum ſubuolabit.

III.

Inuidos vitandos eſſe

Ne comede cibum inuidi, & ne cupias illũ.
Nam ipſe velut præſtigiator fallit, cum ait, comede & bibe, & apud animum inuidet tibi.

Portionem quam comediſti, euomes, & perdes ſermones tuos ſuaues.

IIII.

Margaritum vetat porcis obijcere.

Auribus ſtulti ne loquaris,
Contemnit enim prudentiam ſermonis tui,

V.

Ne loco moueas priſcos limites,
Et in campum pupillorum ne irrumpas,
Nam vindex eorum fortis eſt, iudicabit eorũ cauſſam aduerſus te.

VI.

Accommoda cor tuum caſtiganti, & audi ſermones ſcientiæ.

VII.

Pædagogium præcipit.

Ne ceſſes caſtigare adoleſcentem.
Si percuſſeris eum virga, non morietur.
Si virga verberaueris, ex inferis animã eius eripies.

VIII.

Fili,

Fili, si sapiens fuerit cor tuum gaudebit cor meum. Exultabunt renes mei, cum recte loquentur labia tua.

IX.

Ne emuletur cor tuum peccatores,
Sed timeas dominum tuum semper.
Expecta postrema, nec frustraberis, si expectaris.

Tametsi impij flore ant aliquã tisper, tamen tandẽ peribunt.

X.

Audi fili mi, & eris sapiens, ut bene habeat in uia cor tuum.

XI.

Ne sis inter potatores & commessatores, Nam potatores & commessatores redigentur ad inopiam, & laceris vestibus utetur somnolentus.

XII.

Audi patrem tuum qui te genuit & ne cõtemnas matrem tuam natu grandem.

Veritatem, sapientiam eruditionem & intelligentiam compara, nec vende.

Iusti pater lætabitur, sapientis genitor gaudebit de filio.

Gaudebit pater tuus & mater tua, & genitrix tua, obtempera, & oculis tuis uiæ meæ placent.

Est enim profunda fouea meretrix, & puteus angustus, scortum.

Hæc per

Hæc perinde, ac prædones solent, insidias struit, & incurios ad se allicit.

XIII.

Quid non ebrietas de signat? operta recludit Spes iubet, esse ratas, in prælia trudit inermem.

Vbi væ? vbi eiulatus? vbi rixæ? vbi insidiæ struuntur? Vbi fit, ut nihil meriti saucientur? vbi rubent oculi?

Nimirum hæc accidunt inter pocula, ijs qui confluunt, vt exhauriant quicquid infusum est.

Ne inspice vinum cum rubescit, cum pelucet per vitrum color eius, & arridet, postremo velut serpēs mordebit, & velut aspis pungēt. Oculi tui spectabunt alienas mulieres, & cor tuum cogitabit peruersa, & eris perinde ac iacens in medio mari. Supra antennam percusserunt me, inquies, & non dolui. Vulnerauerunt me, & non sensi. Quando uero expergiscar, ut rursus incipiam perpotare?

CAP. XXIIII.

I.

Multos fallunt secundæ res impiorum.

NE æmuletis viros malos, nec cupias apud eos esse. Nam damna meditatur cor eorū, & pernitiosa loquūtur labia eorum.

Sapiens

II.

Sapientia ædificatur domus, & intelligentia, & cubicula implet scientia omnibus opibus præciosis & pulchris.

III.

Vir sapiens fortis est, & vir intelligẽs præstat robusto. Nam bella geruntur industria, et victoriam pariunt multa consilia.

IIII.

Altior est sapiẽtia, q̃ ut adsequatur stultus, & in porta, hic ne os quidem aperiet,

V.

Sibi machinatur malum, author scæleris.

VI.

Consilia stulti peccata sunt,
Et subsannator est abominatio apꝰ homines

Fortitudo est in aduersis reb. voluntati Dei nõ aduersari.

VII.

Nihili fortitudo est, si in aduersis rebus parum firmus fueris.

VIII.

Eripe eos qui ad mortẽ rapiũtur, & opem fer ijs qui pertrahuntur ad cædem,

Si dixeris, Non noramus, ecce cordium arbiter animaduertet, & obseruator animæ tuæ deprehẽdet, is reddet cuiuis iuxta opera sua.

IX.

Comede mi fili mel, est enim bonum &

Tametsi floreat aliquã tisper impij tandem tamen peribunt.

fauum dulcẽ palato tuo. Sic est animæ sapientia, vbi inueneris, & restant postrema, nec frustrabitur expectatio tua.

X.

Ne insidieris impie habitaculo iusti, ne interturbes quietẽ eius. Septies enim cadet iustus, & impij impingent in mala.

XI.

Si lapsus fuerit inimicus tuus, ne gaudeas, & si impegerit, ne exultet cor tuum, ne videat dominus, & adflictio domino adpareat, ut auertat ab illo iram suam.

XII.

Lucerna gloria, res fecundæ.

Næ æmulare malos, nec inuideas impijs. Nihil enim boni supereſt quod speret malus, lucerna impiorum extinguetur.

XIII.

Seditiosos damnat.

Time dominum fili, & regem, & cum seditiosis nẽ cõmisceare. Mox enim instabit interitus eorum, & ruinam eorum quis scit?

ETIAM HAEC SAPIENTES præcipiunt.

XIIII.

Spectare personã in iudicio non est bonũ.

XV.

Qui dicit impio, iustus es, maledicit ei, & succen-

uccensebit populus.

Qui arguūt, amabiles sunt, et large benedicetur eis.

In tẽpore doceri, moneri, iuuas

XVI.

Labia oscŭli, quæ respondent adposite.

XVII.

Primum perfice foris opus tuum, & exerce agrum tuum.
Postea ædificato domum tuam.

Necessaria prius curanda.

XVIII.

Non sis testis iniquus aduersus proximū tuum, ne allicias labijs tuis.

XIX.

Ne dicas, quemadmodum fecit mihi, sic faciam ei.
Reddam Vnicuiq; secundum opera sua.

Vindictam prohibet.

XX.

Agrum hominis pigri præterij & vineam hominis stulti.

Et ecce totum obruerant vrticæ, & tegebant spinæ, & murus collapsus erat. Et vidi et consyderaui, uidi ut eruditer. Paululū dormies? paulum obdormisces? paulisper conseres manus ad dormitandum? Veniet tanquam uiator paupertas tua, & ægestas non secus atq; latro.

CAP. XXV.

Deus sic fa cit omnia, vt mundus tamen non intelligat.

At reges inquirere oportet.

Non astutia sed pie tas fortu nabit regũ consilia.

Dum petit infirmis ni miũ sublimia pẽnis, Icarus ica reis nomina fecit aquis.

SVNT ET HAE PARABOlæ Salomonis, quas inseruere uiri Ezechiæ Regis Iuda.

I.

GLoria Dei est verbum cælare,
At gloria regum est id inquirere.

II.

Vt nec altitudo cœli, nec terræ profunditas comprehenditur.
Ita nec cor regis perscrutabile est.

III.

Si rubiginem de argento abstuleris, vas purum fiet.
Si impietatem â rege abstuleris, fortunabitur iustitia thronus eius.

IIII.

Ne factes te in conspectu regis, & in locũ magnorum ne irruas. Est enim satius, ut dicatur tibi, Ascende huc, quàm detrudi â conspectu principis, quem adspexerant oculi tui.

V.

Ne properes litigare, ne quid facias quod postea proximum tuum confundat.

Caussam

VI.

Causſam tuam iudicet proximus tuus, & arcanum alterius ne reuela, ne cõtumelia adficiat te audiens, & infamare pergat.

VII.

Aurea mala in argenteis tabulis, uerbum dictum oportune.

Sapiẽs gaudet reprehendi.

VIII.

Velut torques aureus, & aureum monile, eſt increpatio apud ſapientem qui auſcultat.

Magiſtratus laudatur qui officium ſuum facit.

IX.

Sicut in meſſe frigus hybernum recreat, Ita nuncius fidelis recreat eum q̃ miſit, & anima domini eius adquieſcit.

Vil geſchreyſs. & wenigk wollen.

X.

Nubes & uentus, ſine pluuia. Is eſt qui gloriatur pollicendo, & nihil præſtat.

XI.

Patientia placabitur princeps, & lingua mollis frangit duros.

XII.

Vbi mel repereris, comede quantum ſatis eſt, ne ſaturatus, reuomas.

Ne uerbũ dei carnali cupiditate aut iudicio hauriatur.

Faſtidiuntur præſentes.

XIII.

Reuoca pedẽ tuum â domo proximi tui, ne ſatur tui oderit te.

XIIII.

Hasta & gladius & sagitta acuta est, vir q̃ aduersum proximũ suum falsa testificatur.

XV.

Dens malus & pes uacillans, est fiducia cõ temptoris in die tribulationis.

Vetat sanctum dare canibus.

XVI.

Prauo cordi carmen canere, perinde est atq̃ lacerís uestire in frigore, & acetum ui addere.

Vetat vindictam.

XVII.

Si esurierit is qui odit te, pasce cum pane, et si sitierit, pota eum aqua.
Prunam enim cumulabis super caput eius, et dominus reddet tibi.

Vetat audiri delatores.

XVIII.

Aquilo pluuiam pellit,
At vultus seuerus linguam delatricem.

XIX.

Satius est sedere in angulo tecti, quàm in domo ampla cum muliere rixatrice.

Impij offenduntur rebus aduersis piorum.

XX.

Aquæ frigidæ ei qui linquitur animo nuncium bonum est ex terra longinqua.

XXI.

Fons conturbatus, & scaturigo corrupta, Iustus lapsus coram impio.

Non

XXII.

Non est bonum immodice multum mel edere. Sic & qui grauia scrutatur, obruetur.

Vetat verbũ dei haurire carnali cupiditate aut iudicio.

XXIII.

Vrbs patens sine mœnibus,
Vir qui non cohibet spiritum suum.
Eximia est uirtus præstare silentia rebus.

CA. XXVI.

Rebus secundis incauti demẽtantur, vt in Saul apparet.

I.

VT nix in æstate intẽpestiua est, & imber in messe.
Sic nec stultum decet gloria.

II.

Quemadmodum aufugit auis, & præteruolat hirundo.
Sic ementitum conuitium non lædit.

Mendacia non ledũt.

III.

Flagellum equo, frenum asino,
Virga tergo stultorum.

Præcipitur παιδαγωγία

IIII.

Ne respondeas stulto de stultitia eius, ne similis eius fias.

Post unam atq; alterã monitionẽ.

V.

Responde stulto de stultitia eius, ne sapere sibi videatur.

αἱρετικὸν hominẽ deuita.

VI.

Ignaui magistratus.

Qui per nuncium stultum rem gerit,
Est velut claudus pedibus & damnũ accipit.

VII.

Impij non possunt recte uti uerbo Dei.

Vt claudus, pedes erigere nequit,
Sic sunt sententiæ in ore stultorum.

VIII.

Stultũ honore adficere, perinde est ac gemmam in πολυάνδριον conijcere.

Rebus secundis incauti dementantur, gemma conjecta in polyandrion, hoc est, locum fœdum, in aceruum lapidum, ubi de sontibus supplicium sumitur, perit. Eadem sententia est in Laberianis Mimis. Loco ignominiæ est apud indignum dignitas.

IX.

Spina condita in manu ebrij, sententia est in ore stulti.

X.

Gerendas res per peritos.

Vir peritus omnia recte efficit,
Qui uero conducit stultos, negligentes conducit.

XI.

φιλαυτοι haud ferè corrigũtur Ioan. nono Quia dicitis videmꝰ etc.

Sicut canis rediens ad uomitum,
Sic stultus est ingeminans stultitiam suam.

XII.

Si uideris uirũ qui sibi sapere uidetur, de stulto melius speres quàm de eo.

Piget

XIII.

Piger ait, Leopardus est in uia, leo in plateis.
Sicut fores in cardine suo voluuntur, sic voluitur piger in lecto.

XIIII.

Abscondit piger manum in sinum, piget & ad os admouere.

XV.

Plus sibi sapere uidetur piger.
Quam septem qui sententias docent.
Pigri hypocritas significant, qui uidentur laborare, & tamen officium suum non faciunt.

XVI.

Qui transit ad litem sua nihil referentem, perinde est, atq; si canem vellicet auribus ac lacessat. *Was dich nicht brēt blaß nicht.*

XVII.

Vt qui abscondit se, iaculaturq; sagittas flammeas, & mortiferas. Sic is est qui frustratur amicum suum, & dicit, ioco facio.

XVIII.

Ignis extinguitur, ubi ligna non alunt,
Sic sedatur contentio, ubi delator abfuerit.

XIX.

Carbo prunas, ligna ignem accendunt.
Vir contentiosus rixam,

X X.

Non est remediũ aduersus Sycophantæ morsum.

Verba delatoris perinde sunt ac uerbera, penetrantq́ꝫ penetralia pectoris.

X X I.

Vt cõuenit si argenti scoria vas fictile obducatur.

Ira labia venenata, cum malo corde congruunt.

Dignũ patella operculũ. Spurcũ os, ĩprobo pectore.

X X I I.

Cum blanditur inimicus, fallit.

Labijs suis prodet se inimicus, & cum adpropinquat, struit insidias.

X X I I I.

Cum uoce sua blandietur, ne credas ei,
Sunt em̃ in corde eius multæ abominatiões.

X X I I I I.

Si quis texerit odium suum, ut damnum det, reuelabitur eius malicia in cœtu.

X X V.

ἥδε κακὴ βούλη.

Fodiens foueam in eam ruet,
Et aduoluens saxum, in ipsum impinget.

X X V I.

Impij non ferunt castigantem

Lingua mendax non fert improbantem,
Et os blandum perniciem adfert.

CA. XXVII

Ne glo-

I.

NE glorieris de die crastino, Nescis enim quid hodie accidere possit. *Ne ante victoriam ἐπινίκιον*

II.

Prædicet te alienus non os tuum,
Peregrinus, non labia tua.

III.

Grauis est lapis, & ponderosa arena.
Vtroq; grauior est ira stulti. *Imperito nihil iniustius.*

IIII.

Crudelis est iracundia & ira,
Et quis coram inuidia consistet?

V.

Melior est manifesta correptio, quàm clandestina dilectio.

VI.

Fidelia sunt vulnera inflicta à diligente,
Et oscula inimici contumeliosa sunt. *Charitas amat etiã cum sæuit.*

VII.

Anima satura fauum etiam calcat.
Et animæ esurienti etiam amara dulcia sunt.
Esurientes implentur bonis, iuxta canticum Mariæ.

VIII.

Sicut auis est quæ nidum deserit,
Sic vir est qui deserit locum suum. *σπάρταν ἐλαχεῖ ταυτὰν κόσμει.*

IX.

Vngentum & aromata delectant cor,

Dulcior

Consilium res sacra.

Dulcior autem amicus est propter consiliũ animæ.

X.

Veteres amici colendi.

Amicum tuum, & amicum patris tui ne deseras.

Et domum fratris tui ne ingrediare tempore calamitatis tuæ.

X I.

Hesiodus.

Τείτονες ἄξωστοι ἑκίων ζώσαντο δέπηοι.

Melior est vicinus propinquus, quàm frater longinquus.

X I I.

Disce sapientiam, mi fili, & gaudebit cor meum, ut responderi possit ijs, qui mihi conuitium faciunt.

Derhaspel muß ynn sack.

X I I I.

Callidus uidet malum & absconditur, Imperiti pergunt, & damnum accipiunt.

Imperiti pergũt obstinati ut Pharao.

X I I I I.

Vestem ab eo auferas, qui pro alieno spopondit. Et cum ille alienus sit, pignus accipe.

X V.

Immodicæ laudes sunt suspectæ.

Prædicãs amicũ suum magnis clamoribus mane consurgens, maledicere ei iudicabitur.

X V I.

Similis est stillicidio assiduo cum pluit, rixatrix mulier. Qui cohibet eam, uentos cohibet, & oleum manu retinere conatur.

Ferrum

XVII.

Ferrum ferro acuitur,
Et vir acuitur amici congressu.

Σύντε δὺ ἐρχομένω καίτε πρό τοῦ ἐνόησε et c.

XVIII.

Seruans ficum uescitur fructibus eius.
Et obseruans dominum suum, honore adficietur.

Parsimonia magnũ vectigal.

XIX.

Vt facies in aqua resplendens, fallit,
Ita inter se corda hominum solent.

Taxatur perfidia.

XX.

Infernus & perditio non saturantur,
Ita nec hominis oculi saturantur.

Cupiditas ĩexplebilis

XXI.

Argentũ in uase purgatur, aurũ in fornace
Homo uero laudantis ore probatur.

XXII.

Si stultum contriueris pistillo ceu triticum in mortario, non discedet ab eo stultitia.

Impij non emẽdantur adflictionibus.

XXIII.

Tuum pecus contemplare, & gregem diligenter cura.

Neq; enim perpetuo tenebis has opes, & gloria non durat à sæculo ad sæculum.
Prodit fœnum & virescit, donec demetatur.

ἀπάρταμ ἔλαγες ταυταμ κόσμῳ.

Oues

Oues habes quæ uestiant te & hircos, quibus venditis, sumptus pares in agricultura faciendos.

Lac caprarum suppeditabit uictum tibi & familiæ, & ancillis tuis.

CAXXVIII

I.

FVgit impius, tametsi nemo persequatur, Iusti uero, perinde ac leo confidunt.

II.

Imperia sæpe mutari calamitosum est. mutantur aut̃ ꝓpter peccata populi.

Propter peccata populorum fit, ut alij subinde imperent.

At propter eordatos homines prorogabit̃ imperium.

III.

Vir pauper qui pauperes iniuria adficit, perinde facit atq; imber putrefaciens & corrumpens segetem.

Facta Dei pœnas & bñficia nõ considerãt impij.

IIII.

Impios prædicant, hi qui legem deserunt, Contra succensent eis, hi qui legem seruant.

V.

Mali non intelligunt iudicium. Verum qui deum quærunt, omnia intelligũt

Melius

VI.

Melius habebit pauper probus, quàm diues improbus.

VII.

Prudens est qui legem seruat,
Helluo uero patrem confundit.

VIII.

Qui opes suas fœnore auget, & immodico quæstu, coaceruat ut in inopes effundantur.

Male partum dilabitur.

IX.

Qui recusat regem audire, illius præcatio etiam est abominabilis.

X.

Qui rectos seducit, in foueam incidet.
Et probis bona euenient.

XI.

Diues sapere sibi uidetur,
At pauper prudens explorat eum.

XII.

Res secundæ iustorum magnam gloriam pariunt.

Cũ iusti florerent, bñ hæbẽt Respu. Cõtra pessum eunt, cum impij imperant.

Cum uero euehuntur, impij, cõmutantur res hominum.

XIII.

Qui cælat sua flagitia male habebit,
Qui uero confitetur, & deserit, is misericordiã consequetur.

Bea-

XIIII.

Præconiũ timoris dei — Beatus est qui semper pauidus est.
Duri ruent in mala.

XV.

Tyranni, ἄρχων. — Ceu leo rugiens ac esuriens ursus,
Est princeps impius pauperi populo.

XVI.

Si princeps imprudens fuerit, multæ fient iniuriæ.
At si oderit iniuriam, diu imperabit.

XVII.

Qui iniuriam facit, ad sepulchrum usque profugus erit.
Nec quisquam sustentabit eum.

XVIII.

Probi, salui erunt,
Qui uero uias suas peruertit, semel corruet.

XIX.

Præcipitur labor. — Qui exercet agrum suum, satiabitur pane.
At qui ocio indulget, egebit.

XX.

Benedictione diuina diteſcimus — Viro fideli ualde benedicetur.
Et ueloces ad diuitias parandas, nõ erunt innocentes.

XXI.

Spectare personam non est bonum.
Nam & propter frustum panis illi peccant.

Qui pro

XXII.

Qui properat ut diteſcat, & inuidet alijs, neſcit ægeſtatem ſibi impendere.

XXIII.

Qui arguit hominem, poſtremo gratior erit adſentatore.

XXIIII.

Qui deprædatur parentes, & negat id eſſe peccatum, is ſocius eſt homicidæ.

XXV.

Superbus excitat lites,
At qui fidit Deo pingueſcet.

XXVI.

Qui confidit ſuo cordi, deſipit.
At qui ſapienter ambulat, bene habebit.
Deſipere, eſt noſtris conſilijs fidere.

XXVII.

Qui pauperi dat, is non egebit.
Maledicetur autem auertenti oculos ſuos.

XXVIII.

Cum euehuntur impij, abſconduntur homines. Et cum perierint impij, iuſti bene habebunt.

Veritas tandē vincit et probatur.

Qui nō credunt, ferè authores ſunt magnorū motuū & tumultuum.

Præcipit largiri egētibus.

CAP. XXIX.

I.

Sicut Pharao cũ corrigi nollet, perijt.

QV aduersus increpationes dura ceruice est, subito peribit,
Nec mederi ei quisquam poterit.

I I.

Cum florent iusti, populus bene habet,
Cum dominantur impij, luget populus.

I I I.

Qui diligit sapientiam, gaudio adficit patrem suum.
Scortator autem perdet opes.

I I I I.

Iuste iudicando imperia constabiliũtur

Iudicio rex ditionem firmam facit,
Qui donis capitur euertit eam.

V.

Impij principes cõtemnunt ius.

Qui adsentatur proximo, insidiatur ei,
Irretitur peccato suo malus,
Iustus autem gloriabitur, & gaudebit.

V I.

Pij placãt Deum rebus publ sicut adparet in Nahaman.

Cognoscit iustus pauperum caussas,
Impius non aduertit animũ ad dijudicandũ,

V I I.

Subsannatores ciuitati exitio sunt.
At sapientes inde pœnam auertunt.

V I I I.

Imperito homĩe ni= iusti=

Si sapiens litigarit cũ stulto, siue irascatur, siue rideat, placari stultus non potest.

Vir

IX.

Viri sanguinarij oderunt probum.
Rectis autem uita eius curæ est.

X

Totum spiritum suum effundit stultus,
At sapiens tandem cohibet se.

XI.

Si princeps delectatur mendacio,
Impios tandem ministros habet.

Qualis princeps, tales cõuictores.

XII.

Pauperem fœnerator obusum habet.
Deus utriusq; animum moderatur.
Non potest fœnerator sæuire, nisi permittat Deus.

XIII.

Sedes regis qui vere iudicat pauperes perpetuo fortunata erit.

XIIII.

Virga & obiurgatio adfert sapientiam,
At puer qui non cohercetur, pudefacit matrem suam.

Præcipitatur παιδαγωγία

XV.

Cum florent impij, scelera multa fiunt,
Sed spectantibus iustis, ruent.

XVI.

Si castigaueris filium, iucundus erit tibi, & adfert animæ tuæ delitias.

XVII.

Cum deest propheta perit populus, & qui legem custodiunt, bene habebunt.

Si verbum Dei non doceatur, necesse est male habere res humanas.

XVIII.

Impij cõtemnunt uerbum Dei. σπεῦδέ βραδέως.

Serui non emendantur uerbis. Nam tam etsi intelligant, contemnunt tamen.

XIX.

Melius de stulto speres, q̃ de homine præcipite.

XX.

Si â puero seruus delicate tractatus fuerit dominari postea uolet.

XXI.

Res secundæ dementant incautos.

Iracundus homo lites excitat, & sæpe peccat.

XXII.

Superbia deijcit hominem.
At humilis animus potietur gloria.
Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiam.

XXIII.

Ex Leuiti. Capite 5.

Vitam suam odit, quisquis furis socius est, Periurum audiet, nec indicabit.

XXIIII.

Qui timet homines, ruet.
Qui fidit Deo subleuabitur.

XXV.

Multi principis faciem ambiunt,

At â domino iudiciũ cuiusuis proficiscitur.

XXVI.

Abominantur iusti iniquos, & abominatur impius rectam uiam.

Principem tibi Deus placat, tu officijs tuis frustra niteris.

CAP. XXX.

SERMO AGVR FILII IACKE,

HAEC SVNT PRAECEPTA quæ tradiderunt Lithiel, Lethiel & Ichal.

Apparet has sententias ab aliis quibusdam Salomonis libello additas esse.

STultissimus sum hominum, nec est penes me intelligẽtia, nec didici sapientiam, nec sanctorum scientiam cognoui. Quis ascendit in cœlum ac descendit? Quis comprehendit ventos manu sua? Quis concluſit aquas in vestem suam? Quis fundauit fines terræ? Quod nomen est illi? Quod nomẽ est filio illius? nostin?

I

Præconiũ verbi Dei.

Omnis sermo dei purgatus est, & clypeus ijs qui fidunt eo. Ne addas sermonibus eius, ne te obiurget, tuq; mendax deprehẽdaris.

II.

Duo abs te rogaui, quæ antequam moriar quæso largiare, procul à me amoue vanitatē & mendaciū. Inopiam & diuitias ne dederis mihi. Demensum meum suppedita mihi, ne vbi satur fuero mentiar ac dicam. Quis est Deus? ne ve per inopiam furtū committam, & polluam nomen Dei mei.

III.

Hypocrysin generis humani taxat.

Ne accuses seruum apud herum suum, ne tibi conuitium facias, ac pœnas des.

IIII.

Hoc genus patri conuitium facit, nec benedicit matri.

V.

Hoc genus videtur sibi mundum esse, & tamen sordes suas non eluit.

VI.

Hoc genus attollit oculos suos, & palpebras suas eleuat.

VII.

Huius generis dentes, tanquā gladij sunt, & tanquam enses molares sunt, ut deuorent humiles, & inopes ē medio auferant. Huic sanguisugæ multæ sunt filiæ, quæ clamant, Age, Age.

VIIII.

Tria

Tria hæc nõ saturantur, item quartũ inexplebile est.

Infernus Vulua. Terra arefacta, ignis postremo inexplebilis est.

IX.

Oculum qui patrem fastidit, & matris imperium contemnit, corui iuxta flumen effodient, & vorabunt aquilæ. *Præcipit coli parentes.*

X.

Tria hęc ignoro, minime vero q̃rtũ teneo.
Viam aquilæ in aere.
Viam serpentis super petram.
Nauis iter in flumine.
Et viam hominis erga adolescentulam.
Talis est & adulteræ via, quæ vbi perdiderit virum, os tergit. & negat se malum fecisse.

XI.

Tria perturbant terram, quartum prorsus ferre non potest.
Si seruus imperet,
Si stultus satur fuerit,
Si morosa nupserit,
Si ancilla fuerit hæres dominæ facta,

XII.

Quatuor minuta sunt in terra, quæ prudentia vincunt etiam sapientes.

Formicæ imbecille genus, & tamẽ in messe cibum sibi parant.

Cuniculi infirmum genus, qui in rupibus habitant.

At homines magistratibus etiã parere detrectãt.

Locustæ, quæ quanquam non habeãt regem tamen agminatim prodeunt,

Araneus telã texit, & habitat in regũ aulis.

XIII.

Tria hæc probe ingrediuntur, quartũ item belle incedit.

Leo valida bestia, nec refugit ullam beluam.

Canis venaticus firmis lumbis præditus,

Aries & Rex, cui resisti non potest.

XIIII.

Cum per stultitiam effers te, & moliris malum, comprime manu os.

Μηδὲμ ἄγαν.

Nam si lac crebrius tundas, butyrum fiet. Si emunxeris nares vehementius, sanguinem elicies.

Ita & acerbius irasci, lites excitat.

CAP. XXXI.

SERMO SAMVELIS REGIS. HAEC SVNT PRAECEPTA, quæ docuit eum mater.

Quæso

I.

QVæso te fili vteri mei, fili exoptatissime, ne da mulieribus opes tuas, & vias tuas, perdunt enim reges.

Ne regibus & principibus vinum des aut siceram, ne poti obliuiscantur iuris, & de humilibus praue iudicent.

Date siceram adflictis, & vinum mœstis, vt poti obliuiscātur inopiæ suæ, & ęrumnarū.

II.

Patrocinare mutis in iudicio & omnibus orphanis, patrocinare, iudica, & abiectum & inopem vindica.

III.

Probam mulierem quis inueniet? ea prę-stat gemmis.

IIII.

Confidit ea cor mariti, & res familiaris nō deficiet.

V.

Reddet ei bonum & non malū perpetuo.

VI.

Tractat lanam & linum, & voluptati ei est officium suum facere.

VII.

Perinde est atq; nauis mercatoris, ex longinquo afferens panem suum.

VIII.

Noctu surgit, & parat familiæ cibũ, & ancillis demensum.

IX.

Consyderat agrum ac emit, & vineam suo labore plantat.

X.

Accingit lumbos adcurate, & corroborat brachia sua.

XI.

Sentit quâm bona sit negociatio sua, nec noctu extinguetur lucerna eius.

XII.

Manum suam admouet ad colum, & tractat fusum.

XIII.

Manum pauperibus obfert, & porrigit inopi.

XIIII.

Non metuit domui suæ à frigore.
Nam vniuersam familiam vestit duplicibus.

XV.

Ornamenta fecit sibi.
Byssо & purpura vestit.

XVI.

Conspicuus est in porta maritus eius,
vbi sedet cum senioribus regionis.

Tuni-

XVII.

Tunicas parat & uendit, & cingulum dat mercatori.

XVIII.

Fortitudo & decus uestit eam, & gaudebit etiam in posterum.

XIX.

Os aperit sapienter, & suauitas in lingua eius est.

XX.

Speculatur statum domus suæ, nec edit cũ ignauia panem.

XXI.

Surgent eius liberi & prædicabunt eam, Maritus item laudabit eam.

XXII.

Multæ filiæ pararunt opes, tu superas omnes.

XXIII.

Fallax venustas est, & vana est forma, Mulier timens Dei laudabitur,

XXIIII.

Date ei de laboribus suis, & prædicẽt eam in portis facta eius.

FINIS.

DICTA

SAPIENTVM.

DICTA SAPIENTVM.

Omnibus placeto.
Bona res quies.
Periculosa temeritas.
Quicquid promiseris facito.
Amicis aduersa fortuna utentibus idem esto
Infortunium tuum cælato, ne uoluptate adficias inimicos.
Veritati adhæreto.
Violentiam oderis.
Age quæ iusta sunt.
Domus curam age.
Liberos tibi charissimos erudi.
A maledicentia temperato.
Beneficij accepti memento.
Inferiorem ne reijcias.
Ne teipsum præcipites in discrimen.
Temperantiam exerce.
Moribus probatus esto.
Oderis calumnias.
Turpia fuge.
Voluptati tempera.
A iureiurando abstine.

Pietatem

Pietatem sectare.
Laudato honesta.
A vitijs abstine.
Beneficium repende.
Supplicibus misericors esto.
Liberos institue. Litem oderis.
Sapientum utere consuetudine.
Bonos in præcio habeto.
Audi quæ ad te pertinent.
Probrum fugito. Responde in tempore.
Ea facito, quorum non possit pœnitere.
Ne cui inuideas.
Quod iustum est imitare.
Bene meritos honora,
Spes foue. Calumniam oderis.
Affabilis esto.
Cum erraris, muta consilium.
Diutinam amicitiam custodi.
Omnibus teipsum præbe.
Concordiam sectare.
Magistratus metue.
Ne loquaris ad gratiam.
Ne tempori credideris.
Teipsum ne negligas.
Seniorem reuerere,
Mortem oppete pro patria.
Ne quauis de re doleas.

Ex in-

Ex ingenuis liberos crea.
Sperato tanquam mortalis.
Parcito tanquam immortalis.
Ne efferaris gloria.
Arcanum cœla. Cede magnis.
Oportunitatem expecta.
Mortalia cogita.
Largire cum vtilitate.
Ne prior iniuriam facias.
Dolorem fuge.
Mortuum ne rideto.
Amicis vtere.
Delecta amicos.
Consule inculpate.
De numine ne male loquare, quid sit autem auscultа.
Audito multa, loquere pauca.
Prius intellige, & deinde ad opus accede.
Ne ob diuitias laudaris virum indignum.
Principem honora.
Amicos probato.
Nemini promittito.
Similis sis tui.
Quod adest boni consulito.
Susurronem ex ædibus eijce,
A familiaribus in minutis rebus læsus, feras.
Inimicum ne putes amicum.

DICTA

Quæ feceris parentibus, eadem à liberis expecta.

Ante omnia venerare numen.

Inter amicos ne fueris iudex.

Ne contende cum parentibus, etiam si iusta dixeris.

Infortunatum ne irriseris.

Ne lingua præcurrat mentem.

Quæ fieri non possunt, ne concupiscas.

Vxorem ducito ex æqualibus, ne si ex ditioribus duxeris, dominos tibi pares, nõ affines.

LIPSIAE PER NICOlaum Fabrum diligenter excussus.

*

Anno M. D. XXXVIII.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877986002/phys_0116



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0117

Monasterium monasterium
ein Closter

20. Sep. 1956

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0119



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0120



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0121



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877986002/phys_0122



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877986002/phys_0123

DICTA

Quæ feceris parentibus, eadem à liberis pecta.

Ante omnia venerare numen.

Inter amicos ne fueris iudex.

Ne contende cum parentibus, etiam si dixeris.

Infortunatum ne irriseris.

Ne lingua præcurrat mentem.

Quæ fieri non possunt, ne concupiscas.

Vxorem ducito ex æqualibus, ne si ex d tibus duxeris, dominos tibi pares, nõ aff

LIPSIAE PER NICO-
laum Fabrum diligenter
excussus.

*

Anno M. D. XXXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877986002/phys_0124